FECIALIS GALLUS.

Anno MDCLXXXIX.

Amice Lector!

SI quid fortè hîc dictum severiùs in Galliam offendat; monitum te velim, exemplo fuisse fabros urbanitatum ipsos Gallos, qui sanè immodestissimi in nostros sunt. De cæteris nil dico pinguioris Minervæ Scriptoribus. Unius, obsecro, grave ne sit, inspicere Varillasii regii historici nuperum opus, Ludovici XII. res gestas. Fraudum, perfidiæ, desertionis crimina Maximiliano I. Cæsari, ac Ferdinando Catholico Castiliæ Regi, nec meritis, impacta, passim ibi pro floribus inspersa sunt. Quòd si igitur hinc

inde & nos duri videamur: reddidimus Galliæ suas merces; mitiùs tamen. His præcentoribus quis non succinat? His morum magistris quis morem non gerat? Vel talionis lege licebat. Tum verò maximè, si quando res ipsa hîc & facta loquuntur: res & facta velim peccaverint, non scriptor. In hunc, an illud Comœdi (simne ego stultus, qui ita Rempublicam curem?) *jaci sustineat nec ne: ex tuo pendebit, Lector, arbitrio, si vel provenire hinc aliquid per te in Rempublicam animorum concordiæque, quod unicè in votis est, vel secus volueris.*

Feci-

* * *

FEcialium Romanis honoratissimo loco Collegium erat, juri Gentium administrando conditum. Solennia eorum, quæ inter Gentes agebantur, obibant, eòque rebus juxtà repetundis ac dedendis, & bello indicendo, fœderum quoque sanctionibus publicè peragendis operam, traditis ab antiquo carminibus ritibusq; navabant. Quin & quid æqui, atque iniqui bellis inesset, quid induciæ exigerent, quid fœderum sanctitas juberet, consultos respondisse ferunt. Jus & sibi & posteris, sui regulam muneris, in libros, qui fecialium dicebantur, conjecerant; qui nisi temporis longævi injuriâ intercidissent, esset fortasse ab Ethnicis, unde Christianorum scholas hodie emendaremus. Gens enim è nostris una, stabiliendo per orbem impio dominatui, & justi & æqui fræna rumpit omnia, nova bellis, nova fœderibus jura condit, ignorata majori-

bus. Ignoranda eadem & posteris erant, nisi fertili hoc portentorum ævo, humanum genus, feciale Gallo, gentium juris novo interprete, exitiosâ doctrinâ nunc demum perperam eruditius exiret. Etenim rem notam dixero, cum Monarchiam gentium moliri Gallos perhibuerim. In id unum locatos se à natura in ipsis Christiani orbis visceribus, in id frequentiâ civium, ingenio turbulento, armis, nervo rerum, totque aliis proterviæ instrumentis se instructos credunt, ut perinde ac officio, situque ipso monente vicinorum omnium sollicitatâ in gyrum pace, pessundato rationis, jurisque omnis dictamine, terrâ marique, bella, cædes, incendia, vastitatem, servitutem circumferant. Non antè his consiliis cedendum putant, quàm regnum Europæ expugnaverint. Quamobrem, ut sceleri scelere præsidium aliunde negatum parent, necessitatem sibi inductam vident, novis titulis, novis bellorum adminiculis insistendi; quando facinora ad solitas generi hu-

mano

mano leges æſtimata, nefariam cauſam nimis proditura eſſent. Senſimus hoc, cum toto hoc ſeculo, proximis maximè his luſtris: tum verò ante omnia ruptis noviſſimè vicennalibus induciis paulò antè initis, & per impia arma Chriſtiano populo à tergo illata, Turcico hoſte ab imminente ultima clade redempto. Facturusne operæ pretium ſim, ſi hujus ego memoriam rei, aut pernicie noſtrâ, ubi ſpem improbam eventus æquaverit, aut certè ipſo flagitioſi facinoris auſu adverſus oblivionem ſemet vindicaturæ, ſcripto complexus ſim, meritò quidem ambigam. Utcunque tamen fuerit, vel eò juvabit hoc egiſſe, ut cum ſe victum ſenſerit orbis, quàm minimè ingenuis artibus ad eam magnitudinem graſſata ſit Gallia, ſaltem illi intelligant, quibus curæ eſt, pretia factis, judicio magis, quam ex eventu finire. Intrepidè hoc agam. Neque hîc ego larvalia illa Briſacenſium Metenſiumque judicia, non judiciorum perſonatos ſatellites in verba regia præoccupatos,
 non

non fulmina minarum verebor. Ad alia subsellia vocabo, orbem judicem feram, ubi præscriptis nihil imperantium formulis, sceleratis nihil improborum assentationibus, sed veræ cuncta rationi obsecundabunt. Detraham mimico feciali larvam, scapham scapham vocabo, ficum ficum, nec, quoad per me steterit, committam, ut pro vera magnitudine ferocissima superbia, fraus pro jure, pro genuina virtute vis, atque injuria, pro sacris gentium legibus quidlibet statuendi effrænis audacia seculis imponant. Non auferent hinc quam aucupantur gloriam, ut inter magna seculorum nomina faciant numerum; sed, quam majores nostri, maximi illi viri, tenuere gloriæ & immortalitatis viam ostendam, quàm isti procul habuerint, & quali dignos apotheosi veritas postulet. Alia equidem omnia sperare licet causâ nixis. At si vel in exitium nostrum secus aliquid collibuerit rectrici omnium supernæ Providentiæ: Illud profectò solaminis oppressa secum auferet libertas

no-

noſtra, quod fraude ac ſcelere capta, quod oppreſſores ſuos nihilo plus decoris manſurum ſit, quàm quod ſævos regnorum venatores, divinæ flagella iræ manere poteſt. Quam quidem laudem nemini magnopere invidendam putem, cum ferè ſuorum prævaricationes reproborum ſecundis rebus caſtigare ſolitus ſit DEUS, cui virgæ demum quàm filiorum potior eſſe ratio, ſi religiosè rem æſtimaveris, non poteſt.

At enim ferre, inquis, interea neceſſe eſt Galliam, tanquam propitiis omnibus ventis, plenis in vota velis euntem, ac penè prævenientibus optata fatis, quot greſsûs, tot proferentem victorias; domi rerum ſine arbitro compotem, foris belli paciſq; dominam, in mediis, quæ nos vocamus, ſceleribus religioni ſuas ſolerter aptantem rationes, & quæ ſequitur fortunam gratia, in ore omnium piam, felicem, inclytam. Parciùs, ſodes! nihil hic novi luditur. Jam inde ab initio felix ferè ſcelus, innocentia oppreſſa audiit. Verte amabò! Olim

piam habuimus Galliam, cum missis in Orientem legionibus, coloniisque Christo Asiam reconciliaret, viciniam fide concinentem tutam sineret. Olim felicem atque inclytam, cum suo contenta, aliena rapiendi cupiditatem exesse juberet; cum inter utriusque fortunæ confinia pressa sæpe, oppressa nunquam, utcunque modestiam docta, intra fines suos regiâ vi, opibusque cresceret. Nunc insano tumore inflata, suimet superbè nescia, ebria fortunæ lenociniis, vicina cuncta miscens, odium orbis, suâmet felicitate infelix, vel maximè iratum ultoremque habet à tergo DEUM, dum facinorum suorum justitiam ex levi eventuum momento metiens, fingere vel maximè propitium stolidâ præsumptione audet.

Juvat rem à principio accersere fontes ipsos enormium molitionum retegere. Dicam, quàm digno ex ovo hic basiliscus emerserit, quibus illiciis in hunc furorem exarserit. Genium Galliæ persequar, mox à primordio sui similem semper, aut domi turbis civi-

civilibus, aut in vicinos violentis vexationibus actum. Quæ deinde rabies, unde accensa, quâ in Austriacos exarsit, quibus adminiculis, artibusq; in hos ausus surrexerit; quibus flagitiorum titulis in dominatum orbis, qua fraude grassetur. Repetita altiùs ista, & cum præsentibus vetera conferam. Cursim peragam, quæ à Carolo Calvo usque ad Ludovicum XI. dicenda sunt, & qui deinceps Galliæ spiritus, ac unde sumpti sint, in exteros debacchandi; nec non quo astu Austriam invidiæ orbis objecerit; quid Henricus IV. portenti molitus sit; quî intestinæ Germanorum discordiæ in rem Gallorum versæ; in quid Pax Westphalica ac Neomagensis desierit; quid fœdus induciarum tulerit. Tum verò nobile par axiomatum jurisprudentiæ Gallicanæ in fundamentum enormium molitionum substructæ, & truculentissimas Reuniones, & Induciarum violatam sanctitatem, & bellum S. Pontifici indictum presliùs persequemur.

Imperium Francorum, quod ſub Magno Carolo ab Hebro Hiſpaniæ per Galliam Germaniamq; usque in Dacos, & Sarmatas pertinuerat, poſt varias vicisſitudines, circa annum ſeculi noni octogeſimum, in duo regna abiit, quorum Rhodanus Ararisque, & cum Moſa Scaldis medio inter utraque curſu arcifinia erant. Præerant his fratres, Ludovici Pii filii, Caroli M. nepotes, alteri Ludovicus Germanicus cum liberis in Orientem, alteri Carolus, cui capitis vitium cognomen Calvi fecerat, in Occidentem. Hæc regna hodienum mutatis hinc inde finibus in Germania Galliaque perſiſtunt; prius illud Germanorum nobilius non modò, quod majori fratrum Ludovico in ſortem venerit, ac ob Italiam Romanique Majeſtatem nominis in ſe translatum, ſed & ob vetuſtum pignus genuinumque axioma Francorum Imperii apud ſe retentum; alterum hoc ſub Calvo demum rege aliquot antè luſtris poſt Ludovici Pii fata primitus exortum ac novum, vetuſto tamen Franco-

rum

rum nomine abuſu quodam & aſtu nunc vulgò elatum. Memoratu dignum accidit, quòd velut præſagiens natura, & genium utriusque gentis, & ſeros casûs in utriusque, quos diximus, regibus effigiarit. Ludovico ingenium erat mite, & candidum, rei ſervandæ, quàm augendæ cupidius, amans æqui, paci ut ſibi relictum ſtudens, ita lacesſitum injuriis ad arma asſiduum. Ea ut plerunq; invitus induebat: ſic & causâ fretus, & animi regiâ conſtantiâ, initiis ferè turbidis, eventu vix unquam fallente, retinebat. Carolus è contrà, vel Gallis diſertim tradentibus, vanitate, rapacitate, perfidiâ inſignis, nullâ famæ curâ, bellorum levisſimus & ſuſceptor & deſertor, opibus fraternis tempore captato, dum à Barbaris diſtinerentur, aut clàm per inſidias, aut vi apertè illatâ ſemper inhians, initiis armorum lætis, exitu, ut causâ, plerunque deceptus.

Itaque hoc primùm Rege præripiendæ, atque iterum extorquendæ Germanis Lotharingiæ (quo nomine

quidquid Germanici Imperii ad Gallicam Rheni ripam à Triboccis Sequanisque in oceanum aliquando fuit, vel etiamnum esse perdurat, ut res est, hic venire velim) initium factum est, bello in centum quadraginta annos duraturo; quo intervallo novies à Gallis abjurata est Lotharingia, sexies violato perfidè sacramento hostiliter armis impetita, totidemq; expeditionibus fortiter à Germanis aut defensa, aut recepta; nec ullo seu bello seu pace superior res Germana in ea causa non fuit. Anno 1023. sopita solenni pacto ultimùm controversia est ad Carum amnem Luxenburgensis agri, inter Henricum Sanctum Augustum, Robertumque Pium, illum Francorum Orientalium, hunc Occidentalium Regem. Eo fœdere Lotharingia Germanis in perpetuum addicta est, nec deinde usque ad Patrum ætatem Gallis vindicata. Maimburgius, tum fortè assentandi necdum satis peritus, paucis quod res erat professus est, *controversiam de Lotharingiæ regno inter hos reges sanctè ac*

regiè

regiè sublatam fuisse. At cum nec sanctum sit, nec regium, vel appetere aliena, vel retinere, vel, quæ populi sunt, injuriâ prodigere: clara illatio est, Lotharingiam nec ab Henrico Sancto non jure retentam, nec à Roberto Pio injuriâ abjuratam, &, quod inde consequitur, jam inde à lite primùm mota, potiores jure Germaniæ rationes, ut armis, semper fuisse. Quidquid sit, sanè nec regiè nec sanctè Roberti proles Henricus I. veterem injuriam adversus Henricum III. Imperatorem integrare molitus est; quo vim vi repulsuro, cùm Cæsar evincendæ iterum causæ duellum obtulisset, Henricus Gallus, fugâ clàm noctu ablatus, vadimonium turpiter deseruit. Secuta deinde sunt secula, quibus, ingenti vicinorum bono, Gallia ferè internis colluctata est malis, dum Reges, dominatui intra fines violenter extruendo intenti, civilibus fermè distraherentur bellis. A quibus si quando remitti visum est, aversæ sunt vires in Solis ortum, Palestinæ (quæ tum Europam religio tenebat) à Bar-

à Barbaris honeſtiore militiâ aut recuperandæ, aut tutandæ. Excepit inde Britannica tempeſtas, unde Galliæ in tertium ferè ſeculum exercitæ exitium haud ſemel imminere viſum. Inter hæc usque adeo nihil à Gallia intentatum eſt Germaniæ diſcriminis, adeo nihil in eam juris captatum, ut veterum diſceptationum (quæ & ipſæ partem modò Imperii noſtri Lotharingiam perſtrinxerant) altisſimè ſepultâ memoriâ, etiam, ne vel imposterum metuendæ eſſent, ſpontaneâ ac propè, ut tum res erant, ſupervacaneâ curâ identidem cautum fuerit. Semel hoc factum Philippo Auguſto, iterum Philippo Pulchro regibus. Horum ille Friderico II. hic Alberto I. Imperatoribus, fide juratò pro ſe ac ſucceſſoribus interpoſitâ, ſpopondit, nihil Imperio litis à Gallia, fœdus amicitiamque perpetuam fore; fide in eandem cauſam, ne quid Galliæ ab Imperio faceſſeretur, acceptâ. Et ſtetit Germanis ſua ſemper fides. Sub extrema Ludovici XI. requieſſe demum viſa eſt Gallia, & à civili-

vilibus turbis, & ab Anglicano insultu. Regius jam adoleverat dominatus, ordinum adeo vetustissimâ libertate accisâ, ut jamtum Franciam in Franciâ quæsivisses. Quare viribus regum confirmatis funestum illico id Gallorum à turbis domesticis ocium vicinis apparuit. Prima Italia experta est genium Galliæ libidini suæ redditum, Caroli VIII. & Ludovici XII. armis agitata, subinde & Belgium. Sed hæc levia videri poterant. Major enim rerum deinde moles orta est, aliunde nunc repetenda.

Turcæ, gens Scythica, fractis Byzantii, Calipharumque opibus, Asiam superiorem ferè omnem, minoris Asiæ partem potiorem suam fecerant, axiomate Imperii penès unum aliquandiu deposito. Inde secessione factâ suis quique satrapis addicti, diversùm abierant. Ex iis, qui Bithyniam tulerat, Ottomannus fuit, Ottomannidum, qui post tot secula nunc demum piissimis Leopoldi Augusti auspiciis terror orbis esse desinunt, Genearcha. Is sub exitum seculi decimi

cimi tertii, operâ potissimùm militaris disciplinæ solerter restitutæ, illius potentiæ fundamenta jecit, quæ deinde tribus cogniti tum orbis partibus penè exitiosa incubuit. Huic pesti, quâ Europa ferè omnis conflagratura erat, ut obicem pararet altissima DEI sapientia, quod solet, à parvis initiis manum omnipotentiæ suæ, interposito annorum multo decursu, immensùm exeruit. Gens erat ex vetustissimis, nobilissimisque Francorum oriunda, regio Merovingiorum sanguini olim multimodè innexa, & jamtum sub Dagoberti majoris tempora, florentibus suis rebus, summo Reipublicæ ministerio adhibita, inde Alsatiæ Ducatui præposita. Carolinis rerum potitis, cum passim Ducum regibus suspecta potentia, nomenque aboleretur, intra Alsatiæ fines comitatibus, hinc inde cum jure in posteros concreditis, præfuerat. Inde partem Alemanniæ superioris, quæ nunc, ut Romanorum ævo, Helvetia audit, haud contemnendam ex dote in se transtulerat. Rursum magnis

gnis auctibus & ibi & in vicinis Sueviæ agris progressa, in Ducum Zaringiæ illustri domo pristinæ dignitati restituta videbatur. Horum sublatâ progenie magnæ stirpis duo nobilissima supererant germina, alterum in Habspurgi Comitum, alterum in Badenæ Marchionum claris nominibus. Ex Habspurgiis, sapientiâ factisque egregiis, & fide, Rudolphus Comes per Germaniam ferebatur. Hunc Deo visum est cum posteris Ottomannicæ illuviei jam tum, ac velut per ambages, ad seros annos in aggerem interitumq; erigere. Hanc elegit Domum, seu aliis causis, seu pietate prævisâ, Deus, & miti gentis ingenio, cui sacro ipso effatu inter Evangelicas Beatitudines terræ possessio in præmium proposita est. Mirari est, quàm consimili semper progressu gens utraque ad ortum illa, hæc ad occasum increverit. Sub incunabula Ottomanicæ tyrannidis Rudolphus, post vicennale interregnum, salubri Procerum consilio, Imperii clavo admotus, filium Albertum Au-

striæ

ſtriæ regionibus jure perpetuo ipſe admoverat. Dehinc ut Orcanes, & major Amurathes, ac Bajazethes cum filiis, in Aſia minore, Græciaque, & Mœſia pomœria proferebant; Albertus cum progenie amplisſimas in Germania ditiones legit. Expugnato inde à Mahomete II. Græcorum, & Trapezuntis Imperio; omnis Auſtriacorum, hactenus ferè in plures diſtracta, potentia in unum ſuperſtitem Fridericum III. Cæſarem, filiumque Maximilianum confluxit; quin & Belgii accesſione duplum aucta eſt. Dum Selymus I. Syriam Ægyptumque debellat; Hiſpania, largo regnorum ſtipata numero, Auſtriacorum facta eſt. Tandem cùm, Solymanno Rege, qui gentis gloriam felicitatemque ad ſummum perduxiſſe viſus eſt, feralis clades in potiora Pannoniæ penetrâſſet, Germaniæ cervicibus jam è propinquo ingruens; Carolus V. collectis Germaniæ Hiſpaniæque viribus, rerum potitus erat, novi etiam Orbis, Peruvianis maximè opibus, nuper auctus. Tum verò vel palpabili

Dei

Dei providentiâ ipſa etiam Pannonia, ſimul & Bohemia, per Ferdinandum Caroli fratrem in Auſtriacos tranſiit, & veluti caſtra caſtris oppoſita ſunt, perinde ac claris indicante vocibus DEO, vallum tandem adversùs feram barbariem objectum. Et ſtitiſſe inde viſa eſt ferociam ſuam fortuna Ottomannidum, per totum quod ſecutum eſt ſeculum, quique ſeculum ad nos usque exceſſere annos plùs minùs quinquaginta. Nam quod per vices, nunc promotis in Ungaria veſtigiis, nunc relectis, adhuc graves incumberent, ad ſummam modicùm proficiebat. Et quod alibi Cyprum, uti nuper admodum Cretam, PodoliamqueChriſto eripuiſſet; id numero annorum inito mediocre videri poterat; cum aliàs furentis Oceani in morem exundare conſueſſent. In eo diverſi fuere Auſtriaci Ottomannidesque, quod hi efferâ vi, illi, pacis ac benedictionis viâ, conjugiis increviſſent.

Bilem igitur Galliæ jam opibus animisque confirmatæ movit DEI iſt-

isthæc erga Austriacos indulgentia, immemori illius: *Si hunc volo vivere, quid ad te?* Rebatur suis decrêsse opibus, quod illis accresceret. Invidebat, quòd Josephus inter fratres succresceret, nolens intelligere, quid portenderet, tam altis initiis evecta divinitùs ista Domus; tanquam injuriæ esset, magni aliquid non à Gallia fieri. Quin etiam nihil pensi habens ipsius Omnipotentis dexteræ insultare, ausa est jam tum, Francisco I. Rege, præfervidi ingenii viro, & ambitioso, rebus Austriacis potentiùs obluctari. Quem perditum DEUS per Austriacos ibat Turcam, fœdere in eos animare sustinuit, viresque Austriacas aliis ex alio bellis perpetuò sevocare. Sed illud solenne erat, quo nunc ipsa publicè implexa crimine Gallia, Austriacos criminari, & nulli non angulo Europæ, nusquam intermissis clamoribus, persvasum velle, Austriacos in Monarchiam Orbis exsurgere. Quo tandem effectum est, ut passim seductæ gentes inter Austriam Gal-

liam-

aliamque temperamento inveniendo
inſudarent, utramque potentiam ita
æquis lancibus librare ſatagentes,
quò neutrâ præponderante, utrâque
ſæpius invicem commiſsâ, ipſi otio
fruerentur, ac libertate, quam niſi
ex longinquis inſidiis jamtum oc-
cultè Gallia, nemo carptum ibat.
Æquilibrium hoc vocatum eſt, &
cùm præponderare aliquamdiu Au-
ſtria ſiniſtrè perſuaſis videretur,
identidem ad lancem Gallicam ali-
quid adjicientes, illud denique li-
brando conſecuti ſunt, ut Gallia il-
la ipſa libratoribus & lancem hodie,
& libram propè excuſſerit.

His conſiliis conatibusque, ad de-
jiciendos ſuâ vocatione, divini-
tùsque præfixo Barbarorum excidio
Auſtriacos, pars magna ſeculi hoc
noſtro proximè ſuperioris exacta eſt;
donec Gallia regibus ætate ingenio-
ve minoribus deinde factionibus la-
boraret. Quibus ab Henrico IV.
rege diſcusſis, vix domi adhuc ſatis
reſtituta res erat: cùm præceſſorum
ille legens veſtigia, tanquam officii
ſui

ſui penſum exacturus, interitum Auſtriacis iterum meditatur. In hoc, ſufflante, ut ex commentariis conjicere eſt, Sullio Duce, primario regiminis adminiſtro, rem agitavit, ut plauſibilem ſimplicioribus piamque ſpecie, ita reapſe in exitium libertatis Europæ, interitumque Domüs Auſtriacæ, intentatam. Decreverat rem omnem Chriſtianam Europæam in quindecim ſyſtemata diſtinguere, viribus invicem quàm proximè, ut ajebat, æqualia, quibus collectis Reipublicæ Chriſtianæ captioſus præfigeretur titulus. Ea deſtinabantur, Gallia inprimis, deinde Dominium Pontificium, cui Neapoleos regnum adjiceretur. Inde Reſpublica Veneta, cui Siciliam adjunctam cupiebat; & Italica, quæ ex Principibus Italiæ quibusdam & Civitatibus coaleſceret. Tum Sabaudia, quam Mediolani Ducatu auctam in Regnum erigere decreverat. Dehinc Helveti pariter Belgæ, qua Fœderati, qua Hiſpanici juris, quibus Juliacum, Clivia, & Mon-

Montensis Ducatûs accenserentur. Iterum Hungariæ cum Transylvania, nec non separatis rationibus Bohemia, quæ suffragii jure reges extra Austriam caperent. Ita multatum partibus eximiis Germanicum Imperium, velut in stipem, & ipsum denique numerum in ea republica facere passurus erat, atque etiam ut scilicet beneficium illa deberet, libertatis ergò cauturus, ne bis haud interruptâ serie ex úna domo Imperatores legerentur. Supererant Hispania, eaque sola Austriacis relicta, tum Britannicæ Insulæ, Daniaque & Svecia, cum Polonia, quæ reliqua systematis Christiani subsellia implerent. Precibus ista armatis extorquere animo destinaverat, rogitando primùm perquam officiosè Austriacos, ut in hanc rationem suis imperiis, concordiæ Christianæ, rebusq; Europæis consultùm vellent. Ubi preces cassæ forent, vim adhibiturus erat. Quem in finem quinquaginta millium exercitum, quinquaginta æris milliones, apparatûs reliqui bellici vim ingen-

tem præſtò habebat. Triennii ſpatio expeditionem circumſcripſerat, inde in Turcas iturus, quorum ſpolia aliis divideret, novam fortasſis in Oriente rempublicam, ſi Dîs placeret, exædificaturus. Riſit ex alto Deus temeritatem fraudemque. Vilis ſcurræ parricidalis culter in ipſo operis limine coloſſum ſtravit, & vaſtus ille turpium conſiliorum cumulus unà tumulo illatus eſt. Impium facinus, & ſuâ fortunâ dignum, nec gentium, nec ullo jure nixum, ita de alieno, & inſontium corio ludere! Nec defuiſſe tamen, quibus os ſublitum eſſet, ſocios facinoris Galli venditant, quorum id fide ſit; calumniatores enim ſunt. Hi tamen ſi qui fuere ſpe aut dolo ineſcati, & quocunque res cecidiſſet, aut decipiendi à Gallo, aut Gallum decepturi erant. Una ſanè Eliſabetha Anglorum Regina rem acu tetigit, quando in ſecreti communionem, ut perhibent, aſſumpta, ita demum ſe aſſenſuram profeſſa eſt, ſi Gallica res eo facto ne latum quidem pedem telluris opulen-

lentior fieret. Quæ utinam cautela & succesforibus fuiffet! At frustra futura erat fœmina in cæteris ultra muliebre ingenium fagacisfima, cordatisfimaque. Nam vel solo belli ductu, quem Henricus in præmium operæ à fœderatis paciscendo redemptum sibi suisque volebat, Galliæ incautè relicto, actum erat de libertate sociorum. Hic enim prodidit sorex, quid utero ferret. Ita bardos blennosq; ducebat, quibuscum res futura erat, qui ignorarent, superioritatem in fœdere, præcipuè cum Latinis, belli ductu retento procuratam, primarium Romanæ Monarchiæ incrementum fuiffe. Socii sanè Romanorum ex ordine omnes in subditos abiere. Neque mitior fortuna Henrici socios manebat, nisi fortaffe re maturè animadversâ, fraudem in caput autoris versuros. Taceo, quâ temeritate res, vix tribus ætatibus exigenda, triennio definita fuerit, & quantis aliarum gentium bustis Austriæ parentandum, Gallicæ ambitioni litan-

dum. Neque illud ſilendum eſt, quàm ſanctè promiſſa æqualitas inter ſocios deſcripta, quorum ne unum mihi dederis, cujus vires non duplo Gallia exuperatura erat, pleriſque ne quadruplo quidem ſuæ potentiæ eam æquaturis. Id nimirum agitabatur, ut quemadmodum fortaſſe univerſi ſuperiores viſi fuiſſent, ita ſinguli ad Galliam comparati inferiores eſſent, qui diſſenſionibus, inde diviſionibus vafrè procuratis acti, in pretium Auſtriæ ad manticam redactæ, præſidiique ſibimet detracti faciles victimæ ſingillatim Galliæ omnes caderent.

Poterat atrox eventus documento fieri, quanti eſſet contra torrentem niti. Nec tamen diutiùs ſapuit Gallia, quàm Ludovico XIII. minorenni res domi iterum anguſtas turbatasque haberet. Cujus deinde juventus cùm in miniſtros incidiſſet, reſumendis veteribus conſiliis opportunos: compresſis domi refractariis, foris in priſtinam ſylvam itum eſt. Iterum dominium Orbis Auſtriacæ

ſtriacæ genti ſpe devoratum, libertas vicinorum oppreſſa in ore fuit; iterum cœlum terramque frangendis Auſtriæ opibus miſcuere. Idoneum viſum eſt, turbas tum fortè in Germania vertentes (quibus veriſimile eſt, meditatam in Henriciana Rep. Bohemiæ ſeparationem anſæ fuiſſe) in occaſionem arripere. Quem domi perſequebantur cultûs religioſi ritum, eum (ut in aliena domo ſemper ſatagunt Galli) alibi aperto marte tueri, religioni non fuit; donec viribus Germania per fœdera, largitiones, pravasque alias Galliæ artes, pertinaciter diſtractis, nec alio animis in concordiam reducendis ſuperſtite remedio, res apud Germanos ad iniquam cum Gallis pacem deducta eſt. In Hiſpanos continuata ſunt arma, quibuscum deinde lis nihilo æquiore pacto ad Pyrenæos non alio fine ſopita eſt, quàm ut, ſociatâ in thorum regia Principe, novi tituli captati priſtinis conſiliis novum velum ſuppeditarent. His utrinque tabulis illorum improvidâ ſollicitudi-

ne, qui æquilibrio inter nationes dimetiendo operam dederant, id consecuta jam erat Gallia; ut suâ lance æquilibrium transgressa pensi ampliùs non haberet, quod destinâsset per ambages persequi. Itaque levato inutili pudore dominatum primò in vicinos, deinde in omnes quæri, professa tandem est, quando regni Francorum vetusti titulos in se transferre palàm ausa est. Rem haud multis notatam, paucioribus promerito cordi sumptam, strictim explicabo.

Increbuerant sub bellis Germanicis quorundam, ex rabularum forensium genere, insana dogmata, quibus veterum Francorum jura ab inferis suscitata in Germaniam, quique à Germanis interea res sibi suas separatim tulerant, Helvetos, Batavosque, & Italos, Galliæ, ut optima maxima vindicabantur. Incredibile videbatur, regio ministerio, vel cuiquam sano probari seriò potuisse maleferiatorum ingeniorum execrabiles nugas: atque id diu dissimulatum est.

eſt. Probatas tamen fuiſſe, fidem tandem inopinatò fecere, jura Reginæ Chriſtianisſimæ in Belgicas fratris provincias, juſſu mariti regis ſcripto vulgata, & in hunc velut decretorium arietem coronidemve deſinentia: *Hoc ſummo DEI munere ſunt conſecuti,* (Ordines Belgii) *ut non armis aut bello, ſed patriis legibus,* SVO *velut* CORPORI, (Galliæ nimirum) VNDE PER VIM ET FRAVDEM AVVLSI QVONDAM FVERE, *redderentur.* Exiguo complexu tria immanium ſententiarum portenta Orbi, nec ſentienti, in promulſidem venturorum hîc oblata fuere. *Uni Galliæ ineſſe priſcum illud regnum Francorum; Quæcunque Francorum quondam fuere, ad Galliam, quippe vi ac fraude alienata, hodieque ſpectare, & quovis tempore jure recuperari; Eo denique nomine Belgium tunc palàm, cætera, ubi occaſio tulerit, ut pari in cauſa verſantia, rectè impeti.* Claſſicum id erat Europæ omni, ſed ſurdis, cantatum. Seriò rem agi, Belgium argumento fuit, extemplò crudeli im-

 pres-

presſione obrutum. Pauci ſuere, quibus curæ, monſtrum à partu ſuffocari. Et illis ipſis quoque ſatius videbatur, remedio palliativo malum tunc modò leniri. Centrum nemo attigit. Cùm demi omnium connixu exitiabilem illam Gallorum de ſe opinionem, confesſione extortâ, in totum decuiſſet; placuit effectûs modò ſuſpendi. Paucis pòſt annis pœnam tulere Batavi, & ipſi aliis nominibus Gallorum jurisprudentiam experti. Involuta eſt & Germania. Maluere iterum, pace Neomagi initâ, mali ſymptomata differri, materiam peccantem manere. Succeſſere igitur extemplo orci damnabiles fœtûs REVNIONES, ex inſolenti tabularum pacis interpretatione conceptæ. Hæc vox, quidquid Belgicarum prætenſionum occaſione regio nomine, verbis tum quoque paucis, denuntiatum modò retulimus, ingenioſo compendio una complectitur. Reuniri rem dicimus, quæ corpori, unde priùs divulſa, reſtituitur. Galliæ igitur regno reuniri, quæ Galli præ-

en-

tendunt, ea unita aliquando eidem isti Gallico regno fuisse, saltem ipsi ut teneant, necesse est. Id verò ad exitium nostrum, si per Gallos steterit, abundè est. Nam cùm isthæc de Gallia, quà regnum à Francico corpore, post fata Ludovici Pii demum exortum, ac novum est, jactari, nec veritas, nec ulla ratio ferat: aliud superest nihil, quo Reunionum nomenclaturam tueantur, quàm ut, æquivocatione Francici nominis (quâ solâ Franci hactenùs vocati sunt, quos aptiùs Francigenas diceres) repudiatâ, rem ipsam Francorum apud se esse, adhuc contendant. Illud nimirum voce Reunionum captant, ut, cùm regni Francorum veri pars haud dubia fuerit, quidquid Rheno adjacet; si quid ejus ad Galliam nunc accedat, id non hodie primùm Gallici regni fieri, sed quondam Gallicum, deinde avulsum, nunc ad amussim legitimæ Grammatices eidem REVNIRI, hoc est, malè alienatum reddi. Quoties igitur Reunionum fulmina in capita

noſtra torquent; quoties ſeu ſcripto eas, ſeu dicto ad nos delabi ſinunt; quoties tam inviſæ vocis ſono aures feriunt: toties non illa modò vendicant, quæ facto ipſo rapiunt: Sed, ad indelebile Germaniæ probrum, exitiumque, ni cavemus, certisſimum, etiam cum ludibrio, nobis improperant: *Francos ſe eſſe genuinos, nos cives quondam ſuos, quin imò provinciales ac ſubditos, diſcolos diu ac refractarios, in quos recuperatio pateat legitima, quoties impunè repeti occaſio tulerit.* Clasſicum hinc nobis haud minùs atque antea Belgis occinuere, ſi probè intelleximus. Nec enim alio jure, aliove opere Germania univerſa, & Batavi, & Helveti, totque aliæ gentes, quàm Belgæ, quàm Alſatia, quondam à Gallia illa Occidentali diſtinctæ ſunt. Pari lege, pari operâ, uno undique eodemque diviſionis pacto, pari igitur aut jure, aut injuriâ, utrinque ſecesſimus. Itaque ſi Belgium, ſi Rhenus ſuperior à Gallia per vim fraudemque & injuriam avulſus: nulla mora eſt, quin eisdem
&

& nos artibus, eâdemque injuriâ, avulsi simus. At enim hoc pacto sententia lata est. Quidquid Galliæ semel decerptum, id, si Gallis fides, vitio perpetim inhærente, nisi corpori pristino redditum, ullo unquam ævo sanabile non est. Gallorum igitur Germani citrà provocationem jam sumus, & parata est, neu dubitemus, fatalis illa falx, sub qua, REVNIONUM Gallicarum aucturi messem, propediem citra exceptionem unà cademus omnes, nisi, animis in concordiam, dextris in commilitium redeuntibus, more majorum nos ipsos protinus REVNIAMUS. Idem porrò & Itali sibi, & Batavorum, Helvetorumque civitates renuntiatum meminerint.

Sæviebat Reunionum pestis ad Occasum, dum alia ad Ortum ingrueret. Ut enim socius socio fidem præstaret, Gallus & Turca, Christianissimus, & Anti-Christianissimus, novus Pylades, atque Orestes, par nobile amicorum invetita juratorum, junctis consiliis,

 (ita

(ita profectò interceptæ criminis indices literæ evincunt) ancipiti malo Germaniam premebant, alter Gallicâ fide, Græcâ alter, utrinque violatâ induciarum ſanctitate. Viſum eſt nobis Orienti magis occurrere, quòd inde religioni perniciosior tempeſtas impenderet, quòdque in eo Chriſtiani orbis rationes cum privatis Germanorum conjunctæ eſſent. Viribus in Turcas averſis, Rhenus victima Gallis eſſe pergit. Datur dehinc Galliæ, ut in pacta ſuper Reuniones ineunda deſcenderetur. Pollicetur illa verbo ſolenni, ex quo die Legati regii Lutetiâ excesſiſſent, aut ſiſterent Reuniones, aut, ſi quid eo nomine poſt eum diem Gallia prehenderet, id pro non prehenſo eſſet. Nihil hâc ſponſione clarius. Rubori tamen non fuit Galliæ, dum non Lutetiâ modò, aut etiam Galliâ excesſiſſent Legati, ſed & ante portas Francofurti (in quam urbem condictum erat) jam conſiſterent, Argentinam, verbo regio confiſam, eò-

que

que negligentem ſui, proditam quoque, ex improviſo obruere, auroq; & ſcelere emptam ſuam facere. Inde opus Legati aggrediuntur. Petitur, ut jura partium inſpiciantur. Negant Galli, vitilitigandi causâ (ita rem in omni pacis tractatu inter gentes ſolenniſſimam appellabant) ſe veniſſe. Memores deinde, quantæ invidiæ ſe offerrent, quantumque juri gentium vulnus infligeretur, aliquanto fortè pudoris adhuc reliquo, nec titulis tamen fidere auſi, pro pace inducias proponunt; quibus quandoquidem jura partibus in perpetuum non auferrentur, diſcuſſione ſuperſederi poſſe dictabant. Conſenſum eſt. Cùm Argentinam pro non prehensâ ex pacto reſtitui Germani urgerent: nulla in re contentioſiores Galli, in capite omnium Argentinam depoſcunt. Nec inficetè id ſanè, quippe quæ una multis nominibus cœtera, quæ ſub Reuniones venerant, penè omnia æquaret. Dandum nihilominus & hoc fuit. Poſt multas alter-

cationes convenitur tandem Ratisbonæ, (in eam urbem, quod Galliæ rationibus opportunior tunc esset, negotium diverterat) ut & Argentina, & præter eam, quæcunque ante iter à legatis initum capta essent, quo Imperii fuissent jure, apud Galliam in vicennium manerent. Cautum est inibi & Ecclesiasticis rebus, & politicis, tum & jura sua ordinibus Imperii reunitis salva esse jussa. Finibus regundis sine mora conventus instituereture, ut, quid penès Imperium, quid penès Galliam pacta inita manere jusserint, constaret. Liti novæ locus ne fieret; si quid dubii nasceretur, id amicâ compositione modum acciperet. Interea de pace ageretur; in quam nisi intra vicennium conventum foret, rem in eum, quo ante pacta conventa fuerat, statum redituram, natura induciarum ferebat. Consimili propè pacto & Belgio consultum erat. Neutrobi fides Galliæ fuit.

Dum hæc enim toto biennio agitarentur: jam barbarica nubes pro-

cellam

cellam ad Viennæ mœnia effuderat. Suſpenſa animi ſuſpectabat Gallia, in quid deſitura tempeſtas eſſet, à ſe concitata; rata, ſi caderet arx illa Germaniæ, rerumque Chriſtianarum antemurale, compulſos terrore Germanos Proceres, ad Galliam velut ſacram ſalutis anchoram ſponte reſpecturos. Quin gratiæ etiam loco habituros ſperabant, ſi Imperatorio titulo, Regisve Romanorum, aut Protectoris Germaniæ laborantis, in præmium ſcil. procurati nobis exitii, Regem aut Delphinum ſineret onerari. At, aliter quàm Galliæ, Deo viſum, per contraria provehere ad finem ſolito. Decumanum hunc fluctum ſuſtinuit brachio Excelſi adjuta Vienna. Quin idem Turcæ in interitum, quem nobis paraverat, idem Auſtriacis in ſalutem, & occaſionem implendæ vocationis verſus eſt, ut magno Dei operi manus tandem admoveretur, & expellendæ Europâ belluæ via recluderetur. Liberatur Vienna fideli ſociorum operâ, Strigo-

gonium capitur. Delusus Christianissimus, nequid sibi nimis lætè Christianus populus de instaurata salute gratularetur, turbavit gaudium paulò post, Luxenburgo mediâ pace expugnato. Deinde ut Budæ prior inauspicata obsidio spem præbebat respiraturos à clade Turcas, superfluum ratus, invidiæ se, adjutus apertâ vi ex pacto, sociis objicere: ultimam induciis manum, quo diximus pacto, imponi passus est. Consilium erat, ut, seu vinceret bello cum Turcis manente, Austria, seu vinceretur, debilitatam viribus Germaniam seriùs ocyùs regiis invasionibus opportunam haberet. Vel sic tamen, ne nihil agendo quid inutile temporis efflueret, invidiæ parci ratus est, si occultâ fraude in destinata grassaretur. Quare, cùm armorum Christianorum fortunam auxiliis Procerum Imperii, illorum imprimis, qui in occasum vergentes Gallicæ irruptioni propiores erant, haud parùm niti animadverteret: divertere eas, & à cura

sum-

ſummæ rerum Chriſtianarum abstrahere ſatagit. In hunc finem nullo non vere in Pannoniam ituris oſtentat armatas ad Rhenum legiones, velut impetum indies facturas. Quò etiam veriſimilior metus dubios ſuſpenderet; novis in Palatinas ditiones prætenſionibus agitare ſatagit. Nihil inter hæc hoſtile palàm profeſſus, quin etiam, fide in ſpeciem datâ, vim in cauſa Palatina abfuturam, eâque ad arbitros remissâ, hoc animo verſabat, ut, ſi nihil deterriti proceres pergerent Cæſari opem ferre, nudatam præſidio viciniam, parato ſemper invaſionis fuco, pro re nata obnoxiam haberet. Sin territi finibus tuendis militem retinuiſſent; tum & aſſecutus eſſet ipſe, quod deperibat, ut Cæſari in Turcas ſocialia arma detraherentur, &, velut in mantiſſam, novum inſuper ex philoſophia Gallica belli titulum ipſe nanciſceretur: quòd ſcil. magnâ Regis injuriâ contumeliâque, diffiſi Gallico candori, fines ſuos adverſùs quemquam tuendos arbi-

arbitrati essent. Interea, ut pactis induciarum staretur, cura in novissimis erat. Finium regundorum causâ instituendus congressus omni ope declinatur: reuniti in jurisdictionis exercitio pro libidine, turbantur. Principes Imperii, ad modulum Gallorum, (qui summi infimique fatalia regum mancipia, servitutem in gloria ponunt) deprimuntur; munitiones novæ, ne in terris quidem reunitis, satis concessæ, in solo sine controversia Germanico extruuntur; Belgium horribili populatione ac vastatione concutitur; ultima ibi bellorum mala ingeruntur, spe incolas in desperationem actos, vexæ semel redimendæ, Gallicum jugum sponte & in beneficium flagitaturos. Frustratur Gallia. Mansit & Belgis sua fides, memorando patientiæ exemplo; & Germani, posthabito incertiore malo, Cæsari suo in barbarum hostem operam fidelem navare insistunt. Victoria victoriam trudit. Turcæ concatenatis cladibus, post
Bu-

Budam primùm infeliciter oppugnatam, tertiâ æstate, & Budâ & universâ Pannoniâ, quà hinc Savus eam inde Tibiscus ab ortu claudunt, exuuntur; quartâ, Bavari Electoris immortali virtute ultra Savum promoto victore exercitu, Taurunum intra vigesimum quintum diem superadditur; Mœsia Thraciaque recluduntur. Ultra medietatem jam provectum fervebat DEI opus, Europæ à Barbaris purgandæ. Consternatis hostibus, juventute militari amissâ, disciplinâ obsequioq; soluto, intestinis seditionibus omnia in casum dantibus, inter Taurunum Byzantiumq; loci muniti ampliùs interjectum erat nihil. Alterâ expeditione bellum Byzantii mœnibus inferri poterat. Tum enimverò in rabiem acta Gallia, & vel cœlo, si posset, ultrices illatura manûs, quod unum reliquum erat, ruptis fidei datæ pudorisque omnibus vinculis, & ne famæ quidem per solitas artes cavere satis curans, velut agitantibus omnibus furiis, jubet post-

poſtridie, quàm Taurunum captum renuntiatum fuerat, copias jam pridem in id ripam Rheni inſidentes, amne ſuperato, præcisâ morâ, in Germaniam declarato marte invehi. Quin etiam Delphinus, pro initiamento armorum, in tam honeſtam militiam mittitur. Unâ operâ & Sanctisſimo Pontifici per fecialem purpuratum bellum indicitur, quòd laborantem rem Chriſtianam (non ulla magis intima ratio eſt) ſtipendiis juviſſet. Cadunt nunc ex voto prima; cataſtrophen expectamus. Ecquis ſcit, quid ſerus veſper ferat?

Quod nunc relectis veſtigiis huc colligendum eſt, unum Galliæ genio ad turbas, atque ambitionem nato, altisſimâ mente immutabiliq; propoſito ſedet, quintam Monarchiam emoliri, quòdque his auſis in aggerem objecta videatur Auſtriaca Domus, eam evertere, unà verò, quod ad reliqua expedienda ſatis ſit, utramque Germaniam ſub jugum mittere. His olim mauhinis, fraude clàm ingre-

gredientibus, obtendebatur crimen dominatûs quæsiti Austriacis impa-ctum, libertas sociorum Galliæ defensa; semel etiam Reip. Henricianæ, quam Christianam dicere placuit, molimen susceptum. Ubi hæc deinde fidem decoxere, viresque jam constare videbantur; levato velo, & excusso pudore, accersiti sunt juri faciundo vanissimi tituli Francorum veterum, quibus in subsidium excussa axiomata quædam juris publici Gallicani, ad rem ex alieno augendam retinendamq; apprimè facientia, omnibus ad hoc ævum seculis inaudita. Media, quibus ista se mox exeruere, successerunt, primùm invasio Belgii, jactatis Reginæ Christianissimæ juribus instructa; dein mediâ pace, belloque, si ita fas est loqui, togato, Turca in capita Christianorum clàm concitatus atque adjutus, Reuniones palàm exercitæ; tum novissimè, vi apertâ, pax induciæque, & fœdus humanum Christianumque, nefando exemplo, violata. Horum quæ priora sunt, toto hoc decursu,

curſu, tametſi breviter, perſecuti tamen ſumus. Falſitas, atque etiam atrocitas titulorum à Francis venientium, alibi ad ſatietatem evicta. Vanitas quoque & iniquitas jurium Reginæ in Belgas ita ad oculum Galliæ demonſtrata, ut confuſæ, & nequaquam more ſuo nec vel hiſcere nedum obmutire auſæ, Rhetoricæ Gallicanæ aqua hæſerit. Quod reliquum eſt axiomatum Gallicanorum, capita perpauca illa quidem, (duo enim omnino ſunt) & Reuniones, & inducias denique ruptas, ac bellum Pontifici indictum, propiùs nunc ad jus Gentium exigamus.

Enim verò axiomata jurisprudentiæ publicæ Gallorum multimoda cùm ſint, & incrementum indies accipere idonea: tractatum ſingularem exigunt, & eorum quoque hinc inde in progreſſu varia ſe offerent, paucis perſtringenda. Duo autem ſelectiora, præ aliis in rem Gallorum verti ſolita, quò ſe magna ex parte etiam cætera recipiunt, hoc loco extra ordinem examinabimus. Primum eſt,

ut

ut quidquid Domanio coronæ Gallicæ semel mancipatum, velut adamantinâ coalitione, addictum, nullâ omnino gentibus compertâ ratione, sortem mutare ferat; eòque si quid ejus aliovorsum fortè abiverit, id quovis ævo, quâvis occasione, citra alium juris titulum, quàm quòd aliquando Domanii Gallici fuerit, repetere jus fasque esse. Alterum: *Hanc legem, uti quasvis leges regni Gallici, quas vocant fundamentales, æternam, immutabilem, indispensabilem & sacrosanctam esse.* Has bases esse, & Reunionum, & Dependentiarum, & plerarumque prætensionum, quæ in exteros à Gallis struuntur, quibusvis, penitiùs eas introspicientibus, ob oculos facilè se dabit. Quarum quantumcunque enormis se mox à primo obtutu offerat perversitas: nihil non earum prostat publicè Gallorum monumentis, quæ ut prætensionibus in exteros fucum facemque suppeditent, sciente, patiente, authoritatem præstante aulâ, passim edita in manibus versantur.

Du-

Dubitent forſan ex noſtris aliqui, tam deteſtabiles, naturæ gentiumq; juris, ac ſocietatis humanæ peſtes, integræ nationi probari poſſe, & lätæ quidem illi ac populoſæ, neque adeò communem matrem naturam novercam expertæ, quin penu ingenii judiciique, quæ huc ſufficiat, adhuc inſtructa ſit: quin etiam internam Divinitatis imaginem, ſcintillamque rectæ mentis, ab omnibus usque adeo exeſſe juſſam, quisquam ſibi perſvadere nequeat, ut, quæ Galli naturæ benignitate conſecuti ſunt, indolis bona, ea ſpontaneà perverſitate, atque malitiâ, funditus everſa omnes cupierint. Lubentes in horum ſententiam concedimus, neque inficiamur, ſupereſſe fortasſis in Gallia, qui rerum, quæ aguntur, undecunque penetratâ, nec non ad bilancem juſti æquique expensâ interiore œconomiâ, ingemiſcant popularium ſuorum prævaricationibus, publicam cœli terræque nemeſin, ſeriùs ocyùs, genti accituris. Verùm & pauci ſunt iſti, & ſalvi ut

ſint profectò & premere illis ſenſa, nec aliter latitare conſultum eſt, quàm qui peregrina in rempublicam ſacra invexiſſent. Neque tamen & cœterorum, qui tam inſanæ philoſophiæ adſtipulantur, par ubique & ſine diſcrimine cauſa eſt. Triplicis eſſe generis autumo. Primum ſimpliciſſimorum illorum, qui baſiliolatræ, & ad ſervitutem naturâ facta animalia cùm ſint, quidquid conſilio regio viſum, pro religionis articulo habent, miſerationem quàm iram ciere aptiores. Horum ex adverſo poſiti ſunt alii, qui prævaricationum regiarum probè gnari ex proæreſi peccant, aut rectiùs, peccatum agnoſcunt nullum, juraq; negant Galliæ nata; aut ſi jus fateantur ullum, fas putant ſolum quod utile. Quare quæ ſibi commodatura deprehendunt, opertis ſectantur oculis; nihil penſi habentes, quid naturæ, quid gentium dictamina obſiſtant. Et hi quidem deſperatæ ſalutis frugi ut fiant, fruſtrà, opinor, laboratur. Medio ordine ingrediuntur, qui ſubleſtam ju-

risprudentiæ ſuæ fidem odorantes, auctoritate tamen regiâ inducti, vim rationi inferunt obloquenti.

Quod igitur primum illud iniquitatis myſterium attinet, eò id ſpectat, quòd nequaquam ſatis ſit Gallis, iniquisſimis ac fas omne gentium evertentibus titulis rem augere, niſi novo etiam compendio copias ſemel paratas adversùs omnem fortunam muniant. Hinc eſt, quòd quidquid Domanio regio ſemel mancipatum pertendunt, id cohærere ita velint coronæ ut æternùm divelli nequeat. In omnibus, quæ commodo ſunt, rex poteſtate gaudet undique abſolutâ, undique dominicâ atque herili. Ubi de commodo ex jure gentium minuendo necesſitas ingruit, ibi nihil poteſt, ibi nudus uſufructuarius, & adminiſtrator, ibi pupillus eſt, ibi perſona propè miſerabilis. Sexcenta teſtimonia ad manum ſunt, quibus Gallos hac in cauſa ſine diſcrimine loqui, evincere eſt, & omnem, quæ in hominum actiones cadere posſit, Domanii alienationem eludere; quantum-

tumcunque id rectam rationem ab ipsa fronte feriat. Nam quid clarius, quàm quod humanâ lege coaluit, humanâ lege dissolvi posse? An verò Domaniorum jura aliunde, quàm ex humano arbitrio nata sunt? Quòd si alicubi translucere veri luminis aliquid, & tam insulsa doctrina ad alienationem, quæ citra consensum populi fiat, restringi apud Gallos videatur: tam id rarum, tam tenuiter, atque obiter tractatum est, ut luculenter appareat animum à calamo divertisse; idque inprimis, cùm ne tum quidem sibi temperent, quin res Domanii Gallici rebus Deo dicatis, ac Sacrosanctis, & extra humanum commercium positis æquiparent. Frustra etiam à populi consensu Domanii alienatio suspenditur, cùm populli nullum jam pridem jus sit, Ordinum ferè etiam nomine abolito, Parlamentorum autoritate, extra privatorum litigia, penitùs eversâ. Adde, vix aliquid rerum Domanii cedi unquam à regibus potuisse, quod ad Ordinum, dum eorum adhuc vige-

ret autoritas, scientiam mox non perveniret. Qui si siluere, ut plerunque accidit, tacitè saltem consensere. Adde etiam, consensum populi hodie, pro ea, quâ pollent, despotica potestate, regum in manibus positum, quoties seriò placuerit eliciendum. Et elicere tenentur, ubi necessarius est, siquidem malæ fidei infame crimen effugere velint. Nam qui seriò quid spondet, unà spondet & illa, quæ promisso solvendo necessaria novit, ac in potestate habet. Quare & famæ interest regum, ita censeri. Nam qui cum exteris sine ordinibus contraxissent, gnari, suæ à se potestatis limites excedi, eos deceptores atque falsarios fuisse, consectaneum est. Quare sacrilegus scriptor Cassanus piaculum debet, cùm etiam Divum Ludovicum criminis postulat, quòd jure in Castiliam sine Ordinum Gallicorum consensu cesserit, ac quod consequitur, vel crassissimæ in eo, quod sibi liceret, ignorantiæ regem inter paucos sapientiâ clarum, vel perfidiæ fraudisque virum

san-

ſanctisſimum damnat. Atque id quidem agit, ubi de Caſtilia res eſt, quæ nec poſſeſſa fuit unquam Ludovico, nec ſi quid illi juris in eam fuiſſet, (nullum autem fuit, quia Blanca mater minor natu ſororum erat Caſtiliæ hæredum, quod & Puteanus agnoſcit) id regi ſoli, non regno quæſitum foret. Quid igitur Galliæ Ordinibus cum Caſtiliæ cesſione? Pari etiam ſcelere in prætenſionibus regiis ſuper Flandriam cap. 7. Petrus Puteanus ipſe (qui tamen, in polemico ſcriptionis genere, Gallis præcipua in autoritate eſt) maluit Franciſcum Primum execrabilis doli perjuriique reum præbere, quàm pactorum Madritenſium circa Burgundiæ cesſionem aliquod pretium agnoſcere, quando coram Miniſtris ſacramento pactorum confirmatorio in ejus animam dicendo deſtinatis, *proteſtatum*, ait, *nullius roboris fore, quæ promiſſum iret, nec tamen eò minùs illos jurijurando in Ducatûs abdicationem præſtando è veſtigio amandâſſe.*

Ea verò Domanii Gallicani vis tantò est pestilentior, quantò titulis in rem augendam cumulatioribus stipatur. Sunt illi innumeri; & quosdam, mox ubi de Reunionibus res erit, perstringemus. Non possum tamen hîc non delibare unum, præ cæteris facetum juxtà & sævum, quem *matrimonium politicum* vocant, *regi cum regno initum*; cujus illa sit virtus, ut, quidquid regum qualicunque demum titulo habendive modo semel factum sit, id omne tam auspicati matrimonii privilegio coronæ Gallicæ, regioque Domanio saltem decennii possessione acquisitum sit. Indiscriminatim hîc loquuntur, ut intelligas, ne illa quidem eximi, ad quæ reges Galliarum liberâ populorum electione provehantur. Nec loquuntur modò, sed & in exempla deducunt. Illo enim nomine Cassanus Galliæ Castiliam vendicat in provinciam, quòd Divo Ludovico (ut modò memoratum, & vulgus Gallicorum Scriptorum svaviter somniat) jus in eam per Blancam matrem fuerit

erit factum. Quem doctorem etsi sordere quibusdam ex nasutioribus Gallorum, invenire sit: ne quis tamen solum in eo genere insaniisse autumet, Petrus Puteanus providit. Quantum enim cunque is ipse etiam Cassanum haud obscurè alicubi inaniarum cum asseclis arguat, atque etiam diras istas, & alibi inauditas matrimonii Gallici leges Gallico tantùm solo finire videri cupiat: eam tamen moderationem, secum pugnans, alibi totam corrumpit, quando diffidens cæteris regum suorum in Mediolani Ducatum titulis, denique omnium tutissimè eò confugi in prætensionibus regiis super eum Ducatum pronuntiat, quòd Ludovicus XII. Franciscus I. & Henricus II. (atque hic quidem nescio quo teste) eum aliquando possederint. Eâ possessione Insubriam Gallicæ coronæ tacitè innexam edicit, indeque à quoquam ac Galliæ rege hodienum jure possideri negat. In eandem sententiam abivit & novissimus Galliarum scriptor Varillasius, regius historicus, sub Lu-

dovico XII. ad annum 1513. ſponſionem Tremullii Ducis Divione obſeſſi, de cedendo jure in Mediolanenſe territorium cum Helvetis initam, à Ludovico XII. ideò non approbatam aſſerens, quia decennali poſſeſſione Galliæ Domanio jam coalitus Ducatus à rege abdicari nequiverit. Falſum quidem eſt, jam tum de tam amplo Domanii privilegio vel cogitatum fuiſſe. Poſterius ævum hoc portentum tulit. Prodit tamen, quid mentis ſcriptori ſit. At verò Gallici ſoli Inſubria fuit omninò nunquam; pro peregrina, etiam cùm Gallis poſſideretur, habita eſt ſemper. Atque id Varillaſius alibi non ſemel ipſe agnoſcit. Patet igitur, damnatam hanc jurisprudentiam etiam Puteano, & Varillaſio autoritatem præſtante, ad quosvis vel extra Galliam populos, qui, quod ad Galliam attinet, pari cum Inſubria jure ſunt, prorogari. Hanc allegâſſe inſaniam, confutâſſe eſt; non eò tamen minùs, quacunque fortuna visq; Gallica provecta fuerit, metuendam.

Quid

Quid verò, quòd eò insaniæ processerit Cassanus, ut non modò, quæ regibus Galliæ, sed & quæ regiis agnatis extra Galliam acquiruntur, corona Gallicæ perpetuo jure devota velit? Eo professò nomine Lusitaniam Galliæ vindicat, cujus primos reges ex fratre Hugonis Capeti progenitos vult, quorum legitimâ stirpe sublatâ, in Galliam successionis devolutum jus existimat. Pariter & Varillasius, quem modò dimisimus, ad annum 1514. Neapoleos regnum Gallici regni provinciam facit. Neapolis verò cùm nulli regum Galliæ anno, nedum decennio, possessa fuerit: consequitur, per agnatos olim Andegavenses id juris coronæ Gallicæ quæsitum credi. Illud verò hîc omnium facilè lepidissimum est, quòd hoc jugum, hanc servitutem cæteris sine discrimine populis lege Gallorum domesticâ impositam, disertim vendit ent. Felici sydere conditus professò populus, cui uni jus eminens in cæteros omnes natum! cujus ad leges aliorum omnium leges juraque colli-

quescunt, ac velut ignes ad solem minores offuscantur! Nec quisquam sibi persvadeat, ludos hîc agi. Tot alii his proximis annis in nos crudeliter jactati Reunionum, Dependentiarumque tituli fidem faciunt vel invitis, & huic doctrinæ, quotiescunque ad rem venerit, autoritatem fore. Nam cùm Reunionum tituli nequaquam aut magè sani, aut minùs damnosi sint, autores tamen, & executores invenerint: Quis sponsor sit, ab hac quoque novæ ac peregrinæ jurisprudentiæ parte perniciem non imminere? Neque inde nobis consultum putes, quòd pauci fortasse prudentiorum, integriorumque in hanc sententiam Cassano Principi, & asseclis nomen dederint. Certè enim, quemadmodum ignoramus, quandonam tam insana doctrina Gallis ad rem ventura sit: ita herclè unà incertissimum est, prudentes tum, an stolidi, sapientes, an improbi, clavo rerum præfuturi sint, quorum quisque pro ingenio vel repudiet tam stultam jurisprudentiam, vel rebus

no-

nobiscum agendis normam adhibeat.

Jam verò ut robur ac perpetuitatem ſanctitati Domanii ſui, tam enormiter protenſæ, concilient Galli, non modò in legem regni fundamentalem eam erexerunt, ſed, quod alterum jurisprudentiæ caput eſt, leges iſtas fundamentales æternas, immutabiles, indiſpenſabiles eſſe prædicant. Poſſet tanta inſania cuivis ſenſato cerebrum excutere. Iſto quidem pacto, cuivis ſtolidæ ferociæ tyranno in mentem venerit, aliena rapiendi perverſiſſimos quosque titulos ſibi in legem præfigere, hanc deinde æternam jubere. Quæ verò ab omni antiquitate ſeu barbararum, ſeu diſciplinæ civilioris gentium, eò prolapſa dementiæ eſt, ut leges ſeu ſuas, ſeu cujuscunque populi fundamentales æternas duceret? An illæ aliopere conduntur, quàm cæteræ leges, hoc eſt, illorum, quorum id juris eſt, arbitrio? Nimirum, quæ ab humana ſola volunta-

te esse suum computant, eâdem pro libertate ingenii humani variante refigi, ac tolli non possint? Ecquid tandem leges civitatum fundamentales in sui constitutione præ cæteris humani arbitrii partubus præcipuum sibi fecere? Id alibi diversitatis ostentant, quòd periculosiùs convellantur. At in eo conveniunt, quòd facto eorum, à quibus latæ sunt, & quorum interest, dissolvi utrinque possint. Latas itaq; semel, ut secus quàm cæteras leges, velut immutabile fatum sibi perenniter similes, æternùm stare necesse sit: id humanum arbitrium in re merè humana atque arbitraria, ac inter paucas oppidò gravi ac momentosa, pessimâ hominum sorte ex toto everteret. Repugnat natura rerum, repugnat perpetuus gentium usus. Adeo id ab omni veritatis imagine alienum est, ut vicessitudines legum fundamentalium in historiis omnem propè paginam faciant. Alibi regnatum docent, ubi mox penès optimates Imperii

perii vis fuit. Horum in majeſtatem poſtea populus intravit. Populare imperium rurſus Monarchia ſuſtulit. Alibi mixtæ Imperii formæ in ſimplices arctatæ ſunt: alibi ſimplices in mixtas reſolutæ. Neque nullibi etiam pro una civitate ſyſtema plurium ſurrexit. Modus etiam acquirendi ſummam poteſtatem quoties non mutavit? Electio ſucceſſit, ubi ſanguinis antea ratio erat, & è converſo. Ipſa electio aliquando populi fuit, deinde ad ſelectos è populo contracta eſt, eosq; plures, mox ad paucisſimos. Sanguinis iterum habita ratio eſt, modò jure hereditario, modò ex lege, nunc ad mares reſtricta eſt, nunc ad fœminas extenſa. Modus deinde habendi ſummum Imperium, alibi cùm abſolutus eſſet & plenus, in limitatum, alibi è limitato in abſolutum abivit. Nec horum omnium quidquam ullibi unquam, niſi legum viciſſitudine fundamentalium, potuit committi.

At negent fortaſſe Galli, pari cæterorum hominum jure ſe hic teneri? præcipuum hoc ſibi vendicent, ut ſuæ ſaltem leges perenni ſtabilitate ævi omnem injuriam eludant? Quæro: ſuone hoc ipſorum arbitrio, an cæterorum hominum conſenſu, quorum intereſſe poteſt, Galliæ leges ſolvi, an vi ſuperiore privilegium irrogante aſſecuti ſint? Ad hanc quidem ſe ſi recipiant, miraculo fidem fieri jure poſtulabimus, quippe qui niſi Iſraëlitas non novimus populum, cui jura cœlitùs data ſint. Et ne ipſa iſta quidem Iſraëlitarum adeo ferrei fuere roboris, ut pro temporum ratione tandem viciſſitudinem paſſa non in multis ſint. Novimus ſanê, aliam ſub judicibus, aliam ſub regibus, aliam, cùm ſine rege ac judice in commune rebus, aut à ſynedrio ſolo conſuleretur, imperii ſummi faciem fuiſſe. Quòd ſi humani generis conſenſum, quod non crediderim, Galli prætexant: tabulas edi, teſtes produci petimus. At verò ſibimet tulere?

lere? numne aliter ac liberâ voluntate? quæ deinde si mutet, refigere, quæ semel fixere, non possint? Fateantur se insanire, & nobilissimo humanæ naturæ beneficio, libero arbitrio, in re tam ardua suâmet opera se exutos profitendo, infra homines detrudi. Superest igitur id unum, ut in religionem vertant hanc jurisprudentiam suam, ac Numini se obstrictos sacramento perhibeant, ne mutent; velut olim Lacones se induci passi sunt. At nihil est hic sacramenti; ac si vel esset, quid hoc cæteris populis, quorum in exitium ista legum portenta prodeunt, injuratis nec assensis officiat? Circa ea, quæ intra quamq; civitatem aguntur, ut ad populum, qui juravit, vis pertingere sacramenti queat, ferre utique possumus. At quæ jurato deinde cum aliis populis intercedunt, ex jure solo gentium normam capientia, ut unius sacramento in commodum suum, aliorum in periculum perniciemque dicto, cæteri legem sibi finant

ſinant imponi, id ab omni ratione alienisſimum eſt. In commodum itaque ſuum Galli, in alienam injuriam, ad ravim jurent, Gallicâ fide jurabunt, neque jusjurandum adverſùs omnia jura juratum aliis gentibus ullo jure incommodabit.

Quid multis? Gallia ipſa, quot non exemplis teſtatum reddidit, mutationes legibus regni fundamentalibus illatas eſſe? Seu priſca illa inſpicias, dum Francorum adhuc esſet, ſeu recentiora, poſtquam à Francis avulſa in regnum novum degeneravit, abundè illa ſe offerunt. Modum ſuccedendi in Merovingia & Carolina regum familia mixtum quid ex ſanguine ſuffragiisq; populi tuliſſe, Galli ipſi identidem nobis occinunt, & hiſtoriæ loquuntur. Hodie tamen, vel umbrâ quoq; electionis ſublatâ, ſanguinis omnino & ex lege tota eſt ſuccesſio. Priſca illa etiam, ubi maximè liberorum habitus fuit reſpectus, linearum jus ignorabat. In ejus locum ſuccesſionis illa ſpecies intravit, quam linea-

lem

lem agnaticam dici placuit. Olim nothi quoque & vitiosis natalibus cœteri aliquando non arcebantur. Hodie legitimis solùm nuptiis natalibusque is meritò honos est. Olim, pro numero regiæ prolis, regnum in partes scindi solenne erat. Hodie sors tota unius successio fit. Nihil olim magni à regibus, nisi ex populi per primores in comitia coacti placito, gerebatur. Hodie capital est, si quisquam de populi autoritate vel mutire sustinuerit. Comitia, quorum jam pridem vis elusa, patrum ætate omnino desiere; Parlamentorum autoritas circa summam Reip. nostrâ memoriâ in totum oppressa est. Tandem & despotismus undique absolutus, pro temperato unius regimine, invectus, & finis Reip. qui antea in regnantium parentiumque commune tendebat commodum, in unius familiæ compendium versus est. Et dicant adhuc, æternas esse Galliæ leges? Quondam ista admissa oggerent? tanquam non & ab avorum memoria

ria

ria pars patrata ſit. Tum ſi olim variari potuere leges, quin & nunc posſint, quid obſtet, niſi vana quorundam legulejorum ſomnia hodie demum ſomniata? Quòd ſi conſvetudine tandem inductum eſſe cauſentur, æternæ ut ſint: obſtabunt inprimis recentiora iſta; tum & hanc ipſam conſvetudinem, contrariâ ſeu lege, ſeu conſvetudine, aboleri poſſe, aut dent, neceſſe eſt, aut prima naturæ negent. Nam quod conſenſu ſolo conſtat, diſſenſu tolli poteſt. Credat nunc quisquam, legum fundamentalium ſanctitatem in Gallia mage, quàm alibi, inviolabilem eſſe. Quàm verò bella, quàm ad rem faciens retorſionis philoſophia foret, ſi Galliarum preſſos iniquo jugo populos cupido inceſſeret, dominatum præſentem in priſtinos moderatæ reſtrictæque monarchiæ cancellos reformandi! Quid enim reſpondendum putemus dicturis, ſtante legum fundamentalium immutabili ſanctitate, priſcam libertatem in dominationem verti-

ne-

nequiſſe; quam proinde ad primævam illam Franco-Gallicæ reip. qualis ante Capetinos ſteterit, dignitatem reducere, non liciti modò, ſed & pii admodum operis ac neceſſarii futurum ſit.

Liceat nunc, velut animi cauſâ, iſti jurisprudentiæ habenas laxare, & uno tantum caſu in exemplum ducto, quantâ ſerie conſecutionum vis illa Domanii Gallici, quàm rectà in dominium orbis feratur, comprobare. Conſtat, Gallos obtentu nominis Francici, quo per abuſum, atque errorem fraude adjutum, hodie vulgò ſoli efferuntur, contendere, Francorum vetuſtam rem, & genuiam penès ſe eſſe, & jam tum ab incunabulo populi in iſthoc Galliæ ſuæ regno conſtanti propagatione in hunc diem perduràſſe. Huic ſubnectent, partem Francorum Germaniam fuiſſe, quam nunc Romanum vocamus Imperium. Hanc itaque Gallico quondam corpori connexam, quo fuerit jam tum indiſſolubili ſcilicet vinculo, Domanio

coro-

coronæ coalita, nullo jure divelli potuisse, ante omnia causabuntur; unà verò subsument, superesse in eam sibi recuperationem post octo ampliùs sæcula, nullo longissimi temporis privilegio enervatam. Pari dehinc titulo & illa sibi deberi adstruent, quæcunque eodem, quo Germania, divortio, à Gallico sejuncta corpore sint, etsi patientiâ Germanorum, sui juris deinde facta. Helvetos, Batavosque hæc fulmina percellunt, omnemque Italiam Beneventum usque, quà olim Caroli M. felicia arma penetrârunt. Tum verò in illa ferentur, quæ Germanis, etiamsi jam divulsis, à Gallia, Ottonum Fridericorumque auspiciis, qualicunque jure accesserint. Hoc enim Dependentiarum beneficio pertendent, qui gemino partu, unà cum Reunionum peste, quippe in harum subsidium conceptus, obstetricante Gallo, Orci fœtûs, hodie in perniciem natus est titulus. Non enim sanè aliter nos habent, quàm servos fugitivos, qui hero acqui-

quirant, quidquid, dum semet dominis intercepissent, peculio intulerint. Quare quæcunque Germani à Gallia divulsi, quandocunque nostra fecimus, Galliæ quæsita volent. Quid verò putes referre, si ista Germanici incrementa Imperii in libertatem interea reversa sint? Quo enim momento Germanorum semel facta fuere, si Gallos audiamus, per Germanos Gallico simul Dominio, eâdem consequentiæ lege, conc r-vere, ut pari ac Germania ipsa vinculo indissolubili adstricta, solvi nullo inde pacto potuerint. Hæc ad Danos pertinent, atque Polonos, quorum hos Ottone Magno, illos Friderico Barbarossâ Cæsaribus, Germaniæ obsequium debuisse, nostrates tradunt. Neque interest, cómi obsequio, aut etiam nudo feudi nexu, addicti fuerint. Ignorant enim Galli, nisi dominicam potestatem, eoque pari secum omnes servituti addicent. Hungariam quoque, vel Caroli M. armis in Daciam usque prolatis, vel propiore titulo sub

Hen-

Henricis, ut nostrorum quidam arguunt, Germaniæ aliquando fuisse, cùm inaudierint: nullo discrimine, veri, an falsi sint, qui isthæc tradunt, eâdem falce demetent. Quidquid deinde vel Hungari, vel Sarmatæ in Orientem, vel Dani in Septentrionem, seu vero obsequio, seu fiduciario jure, seu simplici connexione, suum fecere: nullâ iterum distinctione, teneanturne adhuc, an vicissitudine temporum aliovorsum abiverint, sibi vindicabunt. Quo id jure postulas? Dependentiarum, inquam, secundi gradûs. Fœcunda enim hæc mater etiam ad centesimam generationem, atque ultrà, vim suam spargere Gallis idonea est. Quo jure Castiliam suam actitent, alibi jam dictum est. Quidquid Castiliæ in utroque orbe adcrevit, eodem jure censebitur. Arragonia quoque, &, quæ hoc nomine veniunt, Hispaniæ, marisque mediterranei regna, etsi non alio nexu Castiliæ juncta sint, quàm quòd eidem cum isthac capiti, cæterùm sui juris,

jūris, obsequium præstent, eâdem lege venire jubebuntur, quâ dependentiæ quævis. Hâc enim philosophiâ etiam in Reunionibus usi sunt. Ita verò liberi in Europa Christiana reliquum jam erit nihil, præter Britannicas Insulas. In has tamen ipsas, Jovem lapidem juravero, nisi Imperatorius titulus, quem cum Italia sibi spondent Galli, jus facturus sit. Hoc eodem, revocatis ab infero veteris Romani Imperii juribus, etiam reliquus orbis Gallico jugo damnabitur, siquidem figuratis animo prætensionibus successus responderit, ac qui his legibus Galliæ addicuntur populi, quâ hactenùs ignavia crescere per injuriam viribus animisque Galliam passi sunt, eâdem sua tueantur. Utcunque hæc parùm verisimilia videantur: attamen, si una Germania, ne quis nugas agi ducat, Galliæ mancipata fuerit: actum erit de omnibus, & jure, & facto. Jure, inquam: quia nihilo potiùs in cæteros Galliæ jus est, quàm in Germaniam, in quam si suum Gallia titulum probatum dederit,

derit, in omnes dederit. Facto autem: quòd Germanica, viris, animis, armis potentissima natio, Galliæ coalita, &, secus ac nunc, uno capite, uno spiritu acta, par viribus reliquæ Europæ, inde orbi futura sit. At verò seriò Gallis Germaniam quæri, non nisi fungus ambigat. Si alia omnia silerent, facta ipsa, credo, id hodie intelligentibus loquerentur. Neque id, post tam acerbam experientiam, ulli dubium esse reor.

Quid verò, si Gallis suum isthoc ratiocinium dociles discipuli, ne fortè ingrati simus, pari philosophiâ redhibeamus? Agè, sit hoc nunc in coronidem axiomatum Gallicanorum; ne frustra iis operam explicandis dedisse videamur. Quòd si igitur, quod juris in nos statuerint, idem in se ferri patientur, prout jubet æquissima talionis lex: nostra est Gallia, si ex Gallica jurisprudentia argumentandi copia est. Francorum enim ea quondam pars eximia cùm fuerit, resque genuina

Fran-

Francorum, ut alibi luculenter ac ſeriò demonſtratum eſt, apud Germanos hodieque perduret: præeuntibus ſuâ dialexi Gallis concludimus: *Injuriâ Galliam à nobis divertiſſe, & Dominio Franco-Germanico ſemel addictam jure ullo interverti nequîſſe.* Reddimus Gallis ſuas argutias; diſcolos & refractarios cives ſuâmet jurisprudentiâ rebellionis damnatos pronuntiamus; reges quoque Capetinos injuſtæ uſurpationis, vulturiæque posſesſionis reos agimus; Galliam, quandocunque ſors in obſequium revocandam præbuerit, nullo quantumvis multiplici ſeculorum lapſu, nullâ juris gentium præſcriptione ſalvandam, jure noſtram facturi. Peregrina ſint hæc & dura! Gallorum in ſterquilinio naſcuntur hi flores, quos Gallis referri æquum eſt, ut propriis naribus dediſcant, alienis fœtorem objicere. Quidni liceat illis reddere, quæ non modò Caſſanus aliquis aut Auberius è forenſium declamatorum profeſſæ impudentiæ grege, & cum aliis Theologaſter Arroyus,

D Jan-

Janſenio pro merito mulctatus, minorum gentium ſcriptores, ſed è primoribus quoque Gallorum nuper Eſpernonii Dux in Genealogia Capetina audacter ac palàm nobis offerre ſui muneris putavit?

Nunc ut ad Reuniones transeamus, quod ſcriptoribus iſtis ſtylo, inutili ferme ſine armis telo, privatis diu ventilatum: hoc deinde argumento efficaciore, bellicâ vi publicè viſum eſt regi probatum dare. Itaque poſtquàm ab inita pace Weſtphalica, ac Pyrenæa, ærario, domeſticisque aliis rebus rectiùs ordinandis tantillum temporis datum, viresque confirmatæ fuiſſent: initiandæ mox vaſtorum conſiliorum moli Belgium Gallis paratius creditum, iteratâ in Flandriam, deinde in Batavos impresſione. Spes erat, ſolertisſimis commercio, ac re maritimâ validis nationibus Galliæ adjunctis, tum maris ubique dominium, tum monopolium univerſale, improbâ ſpe jam devoratum, in appendicem ventura; inde Monarchiæ un-

ver

versali proniora omnia futura. Ut verò ibi operâ vicinorum rem suam in Belgio quàm maximè agi existimantium, perplexa apparuit victoria: Decretum est, differri consilium, donec Rheno altiore in Galliam translato in Oceanum facilior defluxus esset. Superior itaque Germania in se potentior, sed quòd in plures dilapsa potentia ferendæ injuriæ promptior videretur, bello præcipuè deligitur. Quod & ipsum ubi tum diuturnius, quàm ad intentum efficacius deprehensum est: inita Galliæ est ratio, mediâ pace expeditiùs in cupita grassandi, ac sine bello, per omnia hostilia messem bellorum, non ullo aliàs marte faciliùs sperandam, faciendi. Convenitur in pacem Neomagi; tabulæ pacis conscribuntur, mox calumniosâ interpretatione paci ipsi perniciem allaturæ. Detorta enim in sensum, nulli partium vel cógitatione antea præceptum, quæ tum Galliæ pacis causâ concessa sunt, ex aliis in alia prætensiones ampliando, primam concessionem enor-

miter excessere. Sic natum est malum, cui Reunionum factum est nomen, simillima pesti lues, contactu crescens. Quæ enim his tabulis Germanici antea juris, Galliæ primum Monasterii, deinde ad mentem pacti Monasteriensis Neomagi accesserunt, etsi in se magna, ad ea tamen, quæ postea reti Reunionum tracta sunt, pauca videri poterant. Nam ex primis istis captato falsissimorum numero obtentuum in ulteriora eundo, atque iterum in alia, communicatum per vicina quæque est virus, & Reuniones immensùm crevere. Condicebantur libera Statuum Imperii territoria, vano imprimis *Cessionum* ac *Dependentiarum* nomine, quæ si quò pertingere nequivere, alii successere tituli, *æquivocationis*, *& compensationis seu æquivalentiæ*, *& suspicionum, quæ pacem vulnerare possent, amovendarum*, *& præventionis*, *& fructuum, qui percepti erant, repetendorum* specie obducti. Quin & *vindiciæ hostilium ante pacem initam exercitorum*, *& viciniæ contiguique*, *& commoditatis*,

tis, ac condominii ratio, & jura ex piis priscorum regum fundationibus nata, & ubi cætera deficerent, *solius etiam potentiæ, & armorum victoriæque prærogativa*, in subsidium vocabantur. Accessere & alia, quæ ex ubere commentorum penu Gallica jurisprudentia, hactenus Gentium juri incognita, in justos rei augendæ titulos erexit. Ea diversis nominibus utcunq; versâsses, explicâsses, in Reuniones deniq; omnia exibant, non aliter ac, contagioso morbo invalescente, cæteri sanguinis, humorumq; vitiosi affectûs, etsi suis quiq; symptomatibus distincti, in pestem omnes exeunt. Obtentui hæc palàm erant. Intima consiliorum ratio, in dominatum Europæ intenta, etsi re ipsâ satis se proderet, verbis tum quidem altè tegebatur. Nec in dominatum tamen erat, quâ promptiùs iretur, via. Rhenus enim, quod agitabatur, in potestatem redactus, & castellis præsidiisque munitus, Helvetis, si quando vicinorum cladibus in Helvetiam denique ipsam desituris irasci vellent, fræno atque

obici futurus, Batavis secundo amne exitium devecturus erat. Idem adversæ ripæ usque in meditullium Imperii populationibus, incendiis, æterno bello vastandæ, occasionem velut ex stativis commodaturus. His eòusque insisti decretum fuit, donec fatigatis, qui proximè accolerent, calamitati semel redimendæ jugum Gallicum ultro acciperetur. Hi deinde in ulteriorem rursus viciniam eandem Gallis vexarum commoditatem præstituri videbantur, quoad velut tabo Germania omnis absumpta esset. Hæc Reunionum spes, hic scopus erat; vociferantibus interea Gallis, nihil belli esse, non pacem tolli, neque id mentis esse, sed quod tabulæ jussissent, id effectum velle. Quæ belli præpostera interpretatio, ac larva eò spectabat, ut falsâ pacis imagine decepta Germania, & corpus per se ægrè mobile, & tum quoque adversùs barbaros distenta, Gallis tempus suppeditaret, quod castellis, munitionibusque Rheno in pedicas perficiendis satis esset. Sed lubet

bet capita Reunionum aliquando propiùs versare.

Cessa igitur Gallis primùm circa medium hoc seculum Monasteriensi pacto, Neomagensi deinde roborata fuisse nonnulla, quæ Imperii ad eum diem fuerant, tabulæ pactorum, & tabulis disertim comprehensus Alsatiæ Landgraviatus cum Præfectura, quæ Provincialis dicta, & Sungovia cum Brisaco, nec non Episcopatus Metensis, Tullensis, ac Verodunensis, cum urbibus, unde nomen traxere, loquuntur. At ne verbis conventionum sua daritas præsidio foret, impudentissimo ausu Galli transcriptam sibi clamitabant partem pro toto; inde verò totum pro parte confidenter rapiebant. Id volo: cessum Gallis ab Imperio fuisse inter cætera Alsatiæ Landgraviatum; ast hunc ita deinceps à Gallis ampliatum, ut Alsatiam omnem unà venisse ridiculâ Synecdoche pertenderent, eoque nomine, quà vi, quà fraude, suam facerent. At quantâ hoc tabularum injuriâ!

Clara vox eſt ceſſionis. Landgraviatum exhibet Alſatiæ, non Alſatiam. Videre autem, quòd alii jam pridem notavere, & res ipſa vulgò etiam comprobat, hinc inde apud Germanos eſt, magnis regionibus ineſſe territoria minora ſynonyma, ſed quæ differentiam à toto, cui inſunt, immanem faciant. Ita namq; Ducatus ac Palatinatus Saxoniæ, Ducatus Franconiæ Weſtphaliæq; Landgraviatus Thuringiæ, Principatus Sveviæ, ab ipſa Saxonia, Franconiaque, & Weſtphalia, & Thuringia, & Svevia, ſi nominis affinitatem exceperis, immenſùm diſtant. Hæc eadem porrò & Landgraviatûs Alſatici ratio eſt, intra Alſatiam ſiti, ſed eam nequaquam implentis. Solus ipſe cum Sungovia & Briſaco Auſtriacis nuper poſſeſſus, ſolus, inquam, ex ſuperiore Alſatia in Gallos translatus erat. In inferiora deinde, quà Præfectura Provincialis protenditur, mera juris dicundi quædam poteſtas Auſtriacis ante hac per id locorum exercita, cum præ-

ſtatio-

ſtationibus nonnullis fiſcalibus, quorum nihil ad ſuperioritatem, ut vocamus, territorialem faciebat, in eos pariter tranſivit. Veruntamen eâ tranſitione nec cætera inferior Alſatia, quà Præfectura non protendebatur, venire Gallis juſſa eſt: nec ipsâ Præfecturâ comprehenſi liberi Germaniæ Status, conditionis ac libertatis ſuæ, quâ Imperii cives cenſebantur, diminutionem in quoquam pasſi. Eorum enim cæteræque Alſatiæ (quà hæc Landgraviatus non erat) libertati atque immunitati à Gallico jugo, adeo clarè, diſtinctè, manifeſtè cautum fuerat, ut curatiùs atque diſertiùs caveri nihil potuiſſe, cuicunque verba pactorum vel obiter inſpicienti pateat. Clamabant ea „ nihil ampliùs ſeu territorii, ſeu juris Galliæ ceſſum eſſe, quàm quod Auſtriacis in Alſatiâ eousque poſſeſſum. Quæ his non poſſeſſa: ea ſupervacaneâ propè curâ, nominatim etiam expreſſa, & à cesſione in Galliam exempta fuerant. Id unum diverſita-

tis inter Auſtriacam poſſesſionem, Gallicamque manebat, ut quod, quantumque Auſtriacis dependenter ab Imperio poſſeſſum, id Gallis independenter, ac pro ſumma poteſtate posſidendum transſcriberetur. Quamobrem cautum etiam volebant, ut ubi Auſtriacis præter jurisdicundi poteſtatem, & jura fiſcalia ſub Imperio poſſeſſum nihil eſſet: ibi nec Gallis, niſi eadem iſta, quidquam veniret; at quod veniret, id abſolutè ac independenter tenerent. Fruſtra cautum eſt. Invenere Galli quo lucem noctem facerent. Quemadmodum enim cum Landgraviatu intra fines ſuperioris Alſatiæ ſito, nec eam tamen implente, totam ſibi veniſſe Alſatiam, ita & cum jurisdicundi illa poteſtate admodum quidem tenui, quæ Præfecturæ Provincialis vim omnem abſolvebat, imperium regium, abſolutum, plenum, ac indefinitum, in loca, territoria, ſtatūs quoscunque, Præfecturæ in ſolam jurisdicundi poteſtatem commiſſos, ſibi addictum

ctum esse, commenti sunt, & commento insistentes Alsatiam omnem, illinc territorium cessum, hinc potestatem concessam transgressi, rapuerunt, ac subegerunt. Hæc prima velut rudimenta fuerunt bonæ fidei Gallicæ, quibus pacis frustrata spem est, & sensui, quin non sensui modò, sed & verbis luculentissimis tabularum, præter omnem vel verisimilis interpretationis legem, vis illata.

Utinam satiata bolo tam opimo Gallia cupiditatem vel ibi stitisset. Successit illico Dependentiarum truculentior tempestas, orbem, ni properè furori modus fiat, absumptura. Lerna malorum est, majorque clades quam intulere, major quam porrò minantur, quàm quæ verbis describi satis queat. Quidquid seu Alsatiæ Landgraviatui, seu Provinciali Præfecturæ, seu Episcopatibus in Lotharingiæ Ducatu cessis, vel recentioribus annis, vel ante sæcula, indiciis quantumcunque tenuibus ac subleстis, imò nullis sive sub-

jectionem, ſive feudale obſequium debuiſſe, non dicam, invenerunt, ſed ſomniârunt Galli: id omne, nihil etiam in contrarium faciente ſubſecutorum ſeculorum indubiâ, nec interruptâ libertate, jure Dependentiarum, nullo diſcrimine, ſub omnimodam, & indefinitam poteſtatem revocârunt; jugo ſervitutis Gallicæ, hoc eſt, ingenuis omnibus intolerabili addixerunt. Neque hîc modus fuit; ſed pravè ſolerti ingenio, dependentiarum etiam dependentias, ſecundi atque ulterioris gradûs commenti ſunt: neque hactenus conſtat, quoto deſcenſu tam peregrinæ ac ſpuriæ cognationis vis deſitura ſit: ſub qua, niſi rabies inhibeatur, ex aliis in alia ſerpente, & ſerpendo vires multiplicante, tota demum Germania, & tota poſt Germaniam Europa præda fiet ac dependentia. Vel ſola Auſtraſia, quam perperam nonnulli Moſellâ Rhenoque claudunt, in titulum injuriæ ſatis eſſe jubebitur. Dare equidem neceſſe eſt, cùm ceſſa eſt res, ceſſa etiam cenſeri, quæ

rei

rei acceſſoria ſunt. At inprimis cautè hoc æſtimandum, ne conventio ad ea trahatur, de quibus inter contrahentes nec cogitatum fuit, nec, ſi foret, res in pactum ventura fuiſſet. Tum verò diſcrimen etiam faciendum eſt inter ea, quæ rationem certam habent, quæ dubiam. In dubiis enim, hominum recepto uſu, & ratione ita jubente, pro libertate ac poſſesſione naturalis præſumptio eſt. Ante omnia autem ſeparanda hinc veniunt, quæ rei necdum ceſſæ, aliquando in accesſionem computata, temporum decurſu ante cesſionem ſecutam, alienum appendicem facere deſierunt. Atque ubi de hoc ipſo lis eſt, jure an injuriâ ſeceſſerint: inſpiciendæ ſunt leges populi illius, cujus in poteſtate res erant, quando ſeparatio facta eſt. Hæc ritè inſpecta, adeo nihil Galliæ ex tabulis pacis jure Dependentiarum veniſſe oſtendunt, ut ne vocis quidem hujus vel volam vel veſtigium inibi reperire ſit. Solo uno pacti Monaſterienſis loco cum Præfectura Provin-

 ciali

ciali venire jubentur, & alia jura quæ inde DEPENDENT. Sed præterquam, quòd res ipsa hoc unum velle loquatur, ut quæ ad jura fiscalia Præfecturæ annexa pertinent, cum Præfectura cessa videantur: rectæ etiam consequentiæ lege inferimus, quandoquidem unius Præfecturæ Provincialis accessoria cum principali suo Galliæ cessa esse, tabulæ exprimant: In cæteris, quæ cessa sunt, Dependentiarum, ut memoriam nullam, ita nec juris quidquam factum esse. Ea enim paciscentium mens si fuisset: utique, ut in Præfectura Provinciali, ita & in cæteris gravioris momenti rebus eâ pactione cessis, tanti nominis ratio habita foret. Habita cùm non sit: quis ambigat, datâ operâ ex mente contrahentium habitam non esse? Cadunt hoc uno, quascunque eo nomine Galli adversùm nos strophas nectunt: nec cessum jure contendimus, quodcunque tabulæ pactorum expressim cessum non suppeditant. Demus tamen calumniatoribus, venisse in appendicem rerum

cessa-

ceſſarum acceſſoria quoque. At profectò non alia veniſſe, naturæ gentiumque leges, & civilia jura patiuntur, quàm quæ tempore pactionis certò atque indubitatò adhærebant. Quæ dubii ſunt juris, poſſesſionis privilegio poſſeſſoris manent. Si quæ olim rei adhæſerint: ſi ex moribus Germaniæ ante diem cesſionis conditionem mutârint: in acceſſoria computari nequeunt. Legitimè enim, & ex legibus noſtris, quibus tum cenſebantur, juris alieni facta erant iſta, nec Dependentiarum magis hodie, quàm liberti ſervorum nomine, venire poſſunt. His omnibus necquicquam facientibus, Galliæ certa cum dubiis, vera cum falſis, priſca cum novis, exolita cum recentibus, mirabili perverſitate miſcentur. Inter alia Ludovici Maimburgii falſarium facinus ſcuticam meretur, qui Monaſterienſi pace, (cujus tabulas ne inſpexiſſe quidem, hoc ipſo convincitur) in Lutheranismo ſuo, loco alienisſimo, cum Alſatia in Galliam Dependentias unà omnes PRISCAS

BO-

novasque transiisse, impudenter comminiscitur. Nimirum, ut Aulæ assentatorem gnavum se præstaret, oblitus religiosæ conversationis, quam aliquando professus est, hæc talia effutire ausus fuit. Prodidit sanè, quid fidei habendum sit homini, orbem in veteris Ecclesiæ rebus erudire præsumenti, qui in recentissimis adeo aut cæcutiat, aut decipiat. Sed hæc ad aliud tribunal spectant. De cætero Dependentiarum exlex perversitas inde etiam se prodit, quòd inter Dependentias Landgraviatûs Alsatici, quem ne Principatuum quidem albo illatum unquam fuisse, satis constat, Principatûs Imperii, iique plures, computati sint. Sed & alibi unius castelli, modicique & obscuri accessoriis urbes integras, terrarumque tractûs ingentes mancipatos fuisse didicimus. Metarum præterea, ac Tulli, & Veroduni Episcopatûs, Mosellam inter ac Rhenum, Statuum Imperii, Nobilitatisque partem magnam, vel olim, vel tempore etiam pacis initæ, beneficiario jure sibi

ob-

obligatam, aut habuerant fortasse, aut habuisse, à Gallis venditabantur. Ea verò feudorum natura est, ut dominium, quod directum vocant, domino feudi jure feudali relictum, aliud nihil, quàm dominii privati species, proindeque & diversissimæ à summo imperio naturæ sit, & apud privatos quoque esse soleat. Quare quemadmodum naturæ civitatum nequaquam repugnat, unius populi civem, sub alterius populi (moribus præsertim Germaniæ, quæ ferum illud Albinagii jus ignorat) jurisdictione, bona quævis privato quovis jure tenere: ita nec juri aut moribus adversatur, eundem sub altero illo populo dominium directum in res feudali vinculo nexas exercere. Etsi igitur enumeratis Episcopatibus extra territoria sua tabulis pactorum quidquam relictum esse, nullibi deprehendatur: dato tamen, jus in feuda extra territorium Episcopatuum sita cessum fuisse: nihil eo nomine venisse censendum est, præterquam puram putam illam privati dominii

ninii partem, quam directam vocamus; cæterâ in vasallos bonaque ipsa potestate ac superioritate penès Imperium manente. Nihil hæc tam clara lux adversùm Gallos potuit. Rapuere in omnimodam plenissimamque servitutem, quæcunque Episcopatibus feudali obsequio adstricta; nec illa modò, quæ, cùm cessio perageretur, jure non controverso eo nomine fortasse censebantur; sed etiam quæcunque aliquot antè seculis nexa aliquando fuisse, vel putidis sæpe indiciis, ridiculisque obtentibus, pertendebant, vel etiam ex toto comminiscebantur. In feudorum etiam feuda, & quæ deinceps ab his dependere paribus argumentis caussati sunt, itum est. Ea strages nobilissimæ, amplissimæque regionis fuit; ac beneficium quoque agnoscere jussi sumus, quòd non & in reliquos per ea loca Germaniæ Statûs simili ferociâ debaccharentur. Quin imò & trans Rhenum illam Dependentiarum concatenationem pertingere, prodituram in lucem, si quid istis obniteremur,

nur, comminati sunt. Et tamen, cùm pax inita, ac mens pactorum recentissima esset, Galli ipsi nihil vel Dependentiarum, vel Landgraviatûs Alsatici, aut Præfecturæ, aut Sungoviæ, vel Episcopatuum Lotharingicorum nomine, præter ea ipsa, quæ nominatim cessa sunt, datum sibi fuisse, agnoverunt. Quamvis enim fermè pars maxima eorum, quæ deinde Gallicis violentiis succubuere, milite tum Gallico teneretur: attamen omnia, in executionem pactorum ex norma tabularum executionis Norinbergæ conscriptarum, præsidiario Gallorum milite, sine ulla cunctatione causationeve, liberata, Imperioque restituta sunt. Quî verò huc descendissent Galli, si mens pactorum, mens, inquam, ex recentissimo tum tractatu obvia atque evidens, & illa Galliæ cessa voluisset? Hæc *Cessionis ac Dependentiarum* interpretatio fuit, quæ ubi defecere, alii subsidio Reunionum vocati sunt tituli, quos nunc excutiemus, nullâ in parte saniores.

Cui enim unquam in mentem venisset, soli etiam *Æquivocationi* vim tribuere, summo imperio in res alienas parando idoneam? Gallicarum ea prærogativa Reunionum est. Sponhemensis comitatus eximio principatui par ditio est. Ejus ab annis ferè trecentis pars altera in Domum Badensem, altera in Veldentiæ Comites, ac per hos postea in Domum Palatinam eâ lege illata fuerat, ut inde distinctas adeo rationes ambæ haberent, ac duo diversissima territoria habere par esset. Quæ Palatinorum fuerat sors, cum Veldentiæ comitatu per Verodunensis obtentum feudi, servituti Gallicæ mancipato, eandem calamitatem subire coacta est. At quid Badensium illa peccaverat? Tituli nihil erat; tracta tamen est, solo nomine rea. Pari fato cùm Salmensis Comitatûs pars, patrum memoriâ, ad Lotharingos per fœminas venisset, inde Lotharingiæ casu obruta fuisset: Principatus etiam Salmensis cum Comitatu, si nomen sub-

ſubtrahas, commune nihil habens, eâdem infelicitate, ſolo nomine in crimen imputato, damnatus eſt.

Porrò *Compenſationum* etiam, ſeu *Æquivalentiæ* ea indoles facta eſt, ut, cùm Gallos vicinarum ditionum arciumque limitanearum cupido agitaret, in quas ceſſionum aut dependentiarum, aut ex cæteris iniquitatis ſuæ titulis, qui congruè affricari ferret, color deficeret: in mediterranea vicinorum titulos utcunque fucatiores fabricarent; tum verò optionem reis facerent, mediterranea iſta, an iis compenſandis, quem deperirent, agrum arcifinium, velut Cerbero offam, objicere mallent. Ubi cunctarentur iſti rem ſuam ultro prodigere, jusque & gentium ſacra appellarent: exercitus antè in id parati, ut materiam litium (quas ſcil. pacifici iſti averruncatas cupiunt) & colliſionum ſuccidèrent, rem cupitam tollebant. Gratias verò etiam modeſtiæ ſuæ haberi poſtulabant, quandoquidem neglecto, quod ſibi jure veniret, me-

meditullio, extimis istis satis sibi fieri passi essent. Tristi documento, & in ævum duraturo, Jurisprudentiæ tam insolitæ Luxemburgum fuit, spectantibus induciarum intempestivè cupidis vicinis, (quorum maximè intererat Galliæ non fieri illam Germaniæ Cisrhenanæ arcem) Belgio, clade nullo satis die lugendâ, ademptum.

Quid quòd etiam Gallis receptum fuerit, vicinis sub infida pace, seu mœniis urbes, arcesve circumdare agitantibus, seu alia belli, si quod ingrueret, præsidia circumspicientibus denuntiare, *pro pacifragio id regi fore, cujus metu, proindeq; contumeliâ ista fierent.* Tanquam piaculo fuisset, malè fido vicino diffidere, ac rebus suis jure gentium consultum velle. At eò spectabant minæ, ut ne cives Imperii vel privatis opibus, vel mutuo auxilio in quemcunque casum sibi caverent, sed arces atque emporia nobilissima præsidiis nudata, Gallicâ vi ingruente, proditoribus intus, aggressoribus foris,

foris, paratiora essent. *Suspicionum, quæ pacem vulnerare possent, amotionem,* id vocabant, & *præventionis jus.* Exemplum præbuit, & ante casum suum, & casu ipso Argentina, tum Colonia Ubiorum, cui tamen, exitu quàm Argentinæ magis propitio, periculum adhuc intra minas stetit. Sed & fœdus Augustanum eâ causâ truncum mansit.

Fructuum à bonæ fidei possessoribus perceptorum repetitio, usque adeò iniquè à Gallis intenta fuit, ut luculenter appareret, post directum dominium dominis interversum, illud novissimè quæri, ut, fructuum perceptorum colore, utile etiam dominium obduceretur. Quin beatos dicamus, quos vel utile rei dominium dicâ in cœteris absolverit. Nam cùm ne id quidem aliquot seculorum fructibus æquandis satis esse queat: si quibus eorum, quos ea strages involvit, aliæ per cœterum Imperium possessiones sint: jus etiam istas in supplementum solutionis trahendi sibi natum, asserturos aliquando esse Gallos, quam in reli-

reliquis exercent, verecundia, dubitare propemodùm vetat.

. *Amnestiam*, hoc est, eorum, quæ ex belli more hostiliter acta sunt, obliterationem in quibusvis pacis conventionibus naturâ, & usu gentium caput facere, notissimum est; cùm sine ea nec pax intelligi possit. Gallia sola datum sibi putavit, ut, redintegratâ pace, in arces, unde ab hostibus paulò antè suis, bello vertente, damnum tulerat, eo nomine jus sibi factum astrueret. Homburgum monumento est, lite inter Lotharingos Nassoviosque vertente, Trevirorum Electori in sequestrum, ut vocant, addictum. Coacta est & ingentis sanè momenti arx, & circumjecta ditio Gallis cedere. Causam facinoris exigens Elector responsum tulit: *Dependentiam esse Nassovici Comitatûs, hunc verò Metensi Ecclesiæ feudali nexu obligatum.* Cùm vel ipsa caussationis tam futilis conscientia Gallos fuci convictos daret: ut pejori fuco succurrerent rubori, addidere: *Bello, quod antecesserat, ex eo munimento incom-*

commodatum Galliæ fuiſſe, quod ſatis eſſet, ſuum ut jure nunc facerent. In hanc rationem, concordiæ proxenetâ, Gallo, re litigioſâ in ſe translatâ, lis diutina, & acris inter Lotharingos Naſſoviosque ſopita eſt.

Cùm etiam humanitatis ea ſit ratio, ut neceſſiſate ingruente à nemine, quàm vicino præſentius auxilium eſſe deceat: Galli ſanctisſimum hoc & naturale fœdus in exitium humani generis ſuſtulerunt, eo ipſo nomine, quos eis mala ſors ſua vicinos feciſſet, evertentes. Ut alia quam plurima taceam, quæ Badenæ Marchiones ad ſiniſtram Rheni ripam tenuere, quòd Alſatis vicina eſſent, rapta ſunt. Sæpe etiam Gallicorum audita vox miniſtrorum eſt: *E re eſſe regis Chriſtianisſimi, nullius niſi ad nutum obtemperantis ferri viciniam. Nolle vicinos, qui ſe ſupremos in ditionibus ſuis dominos, aut nulli niſi Cæſari & Imperio immediatè obſtrictos eſſe jactitarent.* Id quidem *Viciniæ* jus erat, cui compar & *Contigui* ratio atque æquitas eſt, Haud uno exemplo oſtendere eſt, ubi quæ ditio, ſeu jure ſeu injuriâ, Gal-

lorum facta fuit, involatum unà in territoria contigua esse, non alio titulo, quàm quòd contigua forent; spoliatis planctu Maroniano (*Mantua væ miseræ &c.*) in solutum relicto.

Consimile porrò & *Commoditatis* est jus. Quoties vicinorum fortunas suis commodare idoneas perspexerat Gallia, si modò impunè manum immittere datum, fas habebat, Reunionum inde cumulare numerum. Clara vox est regii in Alsatia Weissenburgense prætoris, qui ministro Palatini Electoris, de vi illata, & eversis Principis sui juribus conquerenti, causamque requirenti, aliud reposuit nihil, ac, *regi suo quidquam impensiùs cordi non esse, quàm regiam dominationem plenam, & absolutam per universam Alsatiam stabilire. Quo peracto non laturum, ut cuicunque vicinorum Principum, quidquam regalium*, ut vocamus, *per ea loca supersit.*

Condominium hic vocare liceat, ubi res duæ, naturâ aut possessionis titulo diversæ, uni domino ita subsunt, ut alteri in alteram nec jus sit, nec alia affi-

affinitas, quàm quòd uni eidemque domino teneantur. Hujus vim adeo eximiam prodidere Galli, ut alterutrâ jugi damnatâ, jus sibi in alteram quoque factum intulerint. Hinc multiplex ad Imperium querela: *Illud firmum, sed novæ sanè nec auditæ hactenus jurisprudentiæ fundamento innixum, stare principium, ut, si quis ratione bonorum in regionibus vi occupatis, atque usurpatis sitorum, ad præstandum homagium coactus fuerit, omnia reliqua ad eundem spectantia, quamvis in haud dubio Imperii solo sita, nullique alteri à seculis, quàm Cæsari & Imperio subdita, eo ipso regi censeantur subjecta; ita ut inde perpetuùm Coronæ Gallicæ unita, & ab Imperio avulsa habeantur, nullâ excusatione, nullâque in contrarium probatione admissâ.* Salmensis Comes experimentum tulit, quando Comitatus, unde nomen duxerat, in agro Luxemburgense siti, ac, nescio quâ juris iniquâ specie, quoad dominium directum reuniti, etiam utile dominium, Gallis denuntiantibus, amissurus erat, ni pro Riferschidense unà

E 2 Co-

Comitatu, cujus tamen indubitato Imperii ſolo comprehenſi cum Salmenſi diſpar omnino cauſa, nec ulla niſi condominii connexio erat, homagio Galliæ ſe obſtrinxiſſet. Pariter etiam Sponhemii Comitatûs pars ea, quæ Palatinis Veldentiæ Comitibus obtinetur, Verodunenſibus annumerata feudis, eoque nomine reunita, ac Gallorum facta eſt, non alio titulo, quàm quòd Veldentia eo nexu obligata venditaretur; hujus verò & Sponhemii idem dominus, idemque poſſeſſor eſſet. Neque hîc profuit, quòd Sponhemii ditio ab omni vetuſtatis memoria ſeparatam à Veldentiæ Comitatu, diverſisſimæque indolis cauſam tuliſſet, eaque res dilucidisſimè, & in continenti comprobata eſſet. Surdis omnia canebantur. Neque id ſatis erat. Sponhemica pars Palatina mox etiam Badenſem, quod jām diximus, per æquivocationem ſecum traxit.

Regum piis fundationibus, quantum virtutis aucupio vicinarum ditionum faciendo inſit, Galli nunc denique hu-

humanum genus docent. Illustri exemplo est Præpositura Weissenburgensis, Principum Imperii dignitate pollens, Dagoberti Regis monumentum, Benedictinorum religiosæ familiæ, post initia seculi septimi, dicatum. Et ipsa quidem, dubium, an intra Alsatiam sita esset, eo tamen nomine Gallici juris facta est, quòd Dagobertum conditorem habuisset. Quin nec ibi sistere placuit. Quæcunque aliquando Præposituræ annexa fuere, etsi dein legitimè distracta essent, quæve annexa fuisse nihili indiciis credi volebant Galli, eâdem opera auferebantur. Cùm enim Palatinatûs Rhenani, cœteræque viciniæ pars haud contemnenda Gallis salivam movisset: tribunal Brisacense non dubitavit eam regi uno isto nomine addicere. Verba nequaquam dubia sunt sententiæ 22. Martii 1680. pronuntiatæ, quæ Regem ipsum inducunt loquentem: *Prætensioni nostræ stabiliendæ sufficit, partem multò maximam oppidorum vicorumque litigiosorum ab ipsa origine spectâsse ad*

 Ab-

Abbatiam regiam Weiſſenburgenſem, Ordinis S. Benedicti, fundatam à rege Dagoberto anno 623. Alcorani hoc legem haud parùm ſapit; qua in regione fanum Mahummedico ritui dicari contigerit, ea Mahummedici juris ut ſit. Quanta verò ſeges Reunionum Gallis, quanta malorum meſſis ventura eſt Germanis, ſi tam deteſtabili juris regulæ ſpatium laxetur? Id profectò cuivis ad ingentes Epiſcopatùs ac monaſteria, quàm cis, tam trans Rhenum, per utramque Saxoniam, per Francones etiam & Thuringos, & Svevos, illorum regum, quos Galli falsò ſibi ſolis arrogant, ſeu liberalitate, ſeu auſpiciis, aut condita, aut dotata & aucta, reſpicienti palàm non eſſe non poteſt. Iniquisſimum verò eſt. Nam & noſtri fuere reges, quorum piam liberalitatem in titulum ſubornant: & Galliæ unius tametſi fuiſſent, tamen, diviſione regni Francorum ritè initâ, quæ ſitæ in Germania ſunt eorum fundationes, legitimè ad nos translatæ cùm ſint, nihil in eas juris apud Galliam potuit manere. Sed

Sed nullus Reunionum truculentior hactenus prodiit, quàm *armorum, & præpotentiæ, atque victoriæ titulus*, in quo Gallis, velut in ſubſidium deficientis ad cætera jurisprudentiæ, ſpem præcipuam ſedere prodidit ſatelles ipſe Gallus, quando incolas reunitarum regionum, ut cauſam regis, vanitate cœterorum obtentuum ſe manifeſtante, aliunde probaret, ac desertores imperium alienum levatâ conſcientiâ lubentiores ſubirent, identidem monitos voluit: *Conſultius eſſe majori ſervire; plus auxilii à rege, quam ab Imperii Principe, venturum; fortiori ſerviendum, dominumque habendum, cui DEVS dominari dederit.* Quæ poſtrema id volunt, DEVM, quod Gallicis uſurpationibus, & violentiis, ex abyſſo judicii ſui, habenas tantisper laxaverit, earum juſtitiam comprobâſſe; quod & ipſum Mahummedismum olet. Apage verò ad orcum cum auctoribus ſuis, nî reſipiſcant, tam ineptam Theologiam, quæ profectò probari nemini poteſt, qui quid ultra nomen Chriſtiani, aut hominis etiam profiteatur. Hu-

Hujusmodi titulorum philoſophia fuit Gallis, Reunionum juſtitiæ tuendæ. Quibus eos deinde modis applicârint, atque ad rem provexerint, nunc delibemus. Ibi verò primum erat, tabularum legumque pacis tum Monaſterienſium, tum Neomagenſium, unde jus natum ferebatur, interpretationem ſibi peculiarem facere. At his contexendis præter Galliam paciſcentes etiam alii haud pauci concurrerant, Germani, Hiſpani, Sveci, Batavi; tum pacis proxenetæ, Romanus Pontifex, Angli, Dani, Veneti; ſponſores inſuper pactorum. Eorum igitur omnium, ubi de ſenſu verborum, queîs pax concepta erat, quæſtio vertebat, inter ſolos contrahentes ſolvi neſcia, ſaltem ex decoro inſpectionem eſſe decebat, & vel experiri judicium, ſi minùs, quod nec urgemus, eodem ſtare. Natura ipſa hoc multimodè jubebat. Uti enim legis interpres eſt, qui legem tulit: ita pactorum à populis initorum interpretes ſunt, tum ipſi inter ſe paciſcentes, ſi convenire poſſint: tum

poſt

poſt hos, etiam mediatores, ut vocamus, quibus merita cauſæ, cui componendæ operam ipſi primariam locavere, & mens paciſcentium, quæ in eos utrinque effundebatur, ante omnes cognita ſunt; denique vades, quorum officii cùm ſit, parti læſæ auxilio venire, eorundem & eſſe decet, unde ratio & juſtitia, unde innocentes vexandi libido ſtet, ad amusſim pactorum, quibus cautum fore promiſerunt, cognoſcere. Verùm his omnibus, ſingulari naturæ benignitate, ac privilegio, exempti Galli jura hæc gentium negabant ſibi lata. Si quem ſibi commodum comminiſcebantur pactorum ſenſum, hunc figebant, neque refigi patiebantur, quidquid eum evidentibus juris & æqui, & rectæ interpretationis principiis, & rei pactæ naturæ contrariari, à læſis opponeretur. Quemlibet, ajebant, ſenſu ſuo abundare, libenter ſe pati; aliter autem Lutetiæ videri, quàm Viennæ, quàm Ratisbonæ, quàm Madriti, aut alibi. Et quòd Lutetiæ videatur, id in jus etiam cœteris, &

juris actionumque regulam, ut sufficiat, æquum esse. Meritò id quidem, quoniam trigesies mille interpretes armati interpretationem probationemque paratam, ac manu palpabilem dextris ferentes, nunquam non è vicino præstò erant.

Quin & inter portenta haberi poterat, si quando rationes iniquitatem evincentes ad aures pervenire suas, velut è transitu, passi essent. Ne id quidem datum nobis fuit, quod tamen natura omnibus commune fecit, quod saltem humanitatis ratio exigebat, ne inauditi condemnaremur. At ne malum quidem dæmonem non auditum damnandum esse, quidam Jurisconsultorum docuerunt. Igitur nostra conditio, quàm dæmonum, vilior etiam habita fuit Gallis, quando Francofurti ad Mœnum, deinde Reginoburgi, cùm de sopiendis, seu ex toto, seu ad tempus, litibus circa sensum pactorum agitatis res esset, quidquid niteremur, adduci se unquam passi non sunt, ut ad juris causæque meritorum discussionem descenderetur.

retur. Sapientissimè id quidem; quandoquidem probè callebant, causam suam, ubi in luce poneretur, integumentis suis adscititiis, coloribusque spuriis nudatam, in fœdum fætidumque cadaver, horroremque gentium defluxuram.

Etiam verò illud naturæ dictamen est, & gentium quies, & pacis, cui nati sumus homines, favor, & sanguinis humani modis omnibus declinanda profusio postulant, ut litigantes, antequam ad ultima juris gentium descendant, causæ rationibusque suis ad arbitros deducendis aures faciles præbeant. Verùm & hîc surdis ad Gallos fabulæ. Quin cùm semel, aut iterum arbitrum sibi non displicere testati essent: ne tum quidem id sincerè, nec, quin rationi & æquitati, & gentium moribus vim iterum inferrent, temperandum sibi putabant; quando arbitrum, quem utriusque partis consensu legi oportebat, nobis pro imperio obtrudere sategere. Atque eum etiam non integrâ fide. Jam enim prensationi-

bus, & mutui compendii ac beneficii redhibendi ſpe, & penſitationibus pecuniariis addictum adverſariis conſtabat, neque laudum aliter, quàm ex condicto cum Gallis, exiturum. Neque ipſi ſatis disſimulaverant. Audita enim arbitri vox eſt indignabundi: *Quandoquidem ſibi honorem arbitrii negare, Auſtriacis conſultius viſum: experturos, ingratiis extortum iri, quod gratiæ amici dare noluiſſent.* Id verò caſus Luxemburgi paulò inde comprobatisſimum dedit. Taceo, cùm arbiter denique nec nobis faſtidiretur, modò controverſiæ omnes cum vicinis in diſcusſionem venirent, quò pax œcumenica coiret: conditionem à Gallis, quorum compendio non faciebat, nihil litium inter Chriſtianos ſupereſſe, rejectam fuiſſe.

Ubi deinde, ſimplicioribus circumveniendis, ambigo, an quò nobis inſolentiùs inſultarent, larvam aliquam judicii, Veſontione, Metis, ac Briſaci Gallis exornare viſum: jam illud antiquisſimum erat, cives alienos ad ſuum forum ut traherent. Tribunalia

nalia in alieno, ac paulò minùs, quàm hoſtico, inſtituta fuere, ubi proceres Imperii, Palatinus Elector cum agnatis ſuis, Badenæ Marchiones cum aliis Principibus, Imperii Comites, & Equeſtris liber ordo, Rhenum inter Moſellamq; colens, de bonis avitis Imperio ſubjectis, fortunisque plurium ſeculorum decurſu quietè posſesſis, arbitrio peregrino, ad leges peregrinas, & novas, jus acciperent. Ita rubori non fuit Gallis, quod cæteris gentibus pro piaculo eſt, judició proprio ſubjicere, quod gentium legibus, vel inter partes ipſas, vel, ſi non conveniret, coram arbitris cognoſcendum erat; imò actorem, judicem, executorem, in cauſa propria, in cives non ſuos, induere. Quæ verò alia magis res documento eſſe potuit, nolle jus reddere, nolle legem agnoſcere actionum ſuarum regulam, divina omnia humanaque infra cupiditatem habere? non cœlum credi, non DEUM curari, nihili ſacramenta fieri; ſola commoda opertis oculis computari, ſola pro le-

ge, pro jure, pro ratione normaque duci.

Id tamen utcunque fucum ignaris facere adhuc fortasse poterat, si de cætero causarum investigationi cuicunque etiam ad ista subsellia locus fuisset. Verùm, ad solam fere advocati regii conclusionem, judices ex præscriptis verbis pronuntiabant. Reorum exceptiones ad formulam Lutetiâ in antecessum submissam explosæ, antequam auditæ. Imò, si quando auditæ, non id eò factum, ut ritè pensarentur, sed ut cum ludibrio rejicerentur, additâ etiam non semel à regiis satellitibus contumeliâ.

Quid verò exceptiones loquor? Onus ipsum probandi actor ille festivus, novo compendio, à se in reos ac possessores devolvebat. Si qua titulorum, quibus se Gallia in actorem erexerat, mentio per transennam fuit, allegati fuere, non probati. Jussi sunt possessores titulos edere suos, quibus tamen, actore non probante, jure naturæ incolumitatis & absolutionis præsidium eo ipso esse debe-

debebat. Et inter hæc, de exturbandis trium, vel etiam quinque seculorum possessoribus, res erat, & principatibus, comitatibus, territoriis, aut, quâ possidebantur, Germanicâ libertate, cedere summatim magno numero, & catervatim jubebantur illustres rei, tanquam de caulium capitibus vitilitigatio fuisset.

Et quænam, obsecro, titulorum ista instrumenta actori, si quando eò descendere sustinuit, qui testes fuere? Historicorum quorundam malè consutos centones, & fabulosum Dagoberti regis testamentum, & codices manuscriptos privatos, annosos, semesa murium blattarumque pabula, scombris mage vestiendis, quàm fidei, etiam apud iniquos judices, faciendæ idoneos, & illis insuta, nullius pretii, lacera, acephala, apoda schediasmata, posthæc vulgi stolidos rumores, & proprii ingenii nefaria deliramenta, in argumentum supponebant.

Neque ibi sistebant, sed, quàm merces istas malas, & inanissima quæque suæ iniquitatis adjumenta, pro auro mero

mero venditabant: tam rursus eorum, quos spoliatum ibant, cùm ad larvalia illa judicia descensum esset, exceptiones, si quas modò delicatissimi hominum non fastidierant audire, sanissimas quasque, & solidissimas, contra juris & æqui, & veritatis apertam rationem, nihili esse cogebant. Multimodæ fuerunt istæ, summatim repulsæ. Usucapionis & præscriptionis singularis sors fuit. Illius apud omnes gentes ac civitates communiter agnita, indeque in leges cujusque peculiares recepta utilitas, atque necessitas est. Hanc passim jure optimo, cùm primævus possessionis titulus vetustate intercidisset, in sui tutamen allegantes, qui Reunionum procellâ urgebantur, Germani cives, ubi vix os reclusissent, facessere jussi sunt à Gallis judicibus. Et tamen res omnis ad leges Germanorum æstimanda erat, apud quos eam dominii mutandi rationem vigere in propatulo est, & quorum sub Imperio ditiones controversæ, à superioritate territoriorum Galliæ deinde

inde

inde cessorum, si quæ unquam fuerat, pridem solutæ erant.

Sed quid usucapionem vel præscriptionem, juris civilis fœtum, adversùs Gallos urgeam? cùm præstò fuerit, eaque multò potentior, temporis immemorialis possessio, quæ ab ista juris civilis præscriptione plurimùm distat. Nititur isthæc possessio, tum præsumptâ derelicti habitione, tum illâ lumine rationis notissimâ regulâ, *in dubio meliorem esse conditionem possidentis.* Dubium est id, de quo ritè non constat. At, post seculorum plurium quietam, non interpellatam possessionem, nihil est, (nisi evidentissimè ac velut palpabiliter contrarium se inferat) quod in possessorem torqueri queat, pro constanti ac manifesto habendum. Ætas omnia incerta fecit. Magistrâ quotidianâ experientiâ docemur, quantopere, quàm sæpe controversiarum, nobis etiamnum vivis, inter populos vertentium, involuta sit ratio, ut jus & æquum, utrubi militet, vix Argus, nec nisi meritorum causæ intimâ cogni-

gnitione tinctus, assequatur; quàm sæpe etiam, alterutrius partium argutiis, causa per se clara & plana caligare cogatur, ut nisi præsentissimâ facti inspectione, lynceis etiam oculis, defœcatissimoque judicio, jus elicere fas non sit. Jam verò, si hæc in præsentibus, omniumque conspectui subjectis: quid de priscis illis atque remotis, ac inter privatos actis, & à nostra majorumque memoria jam pridem exulantibus, pronunciemus? Causentur Galli, hanc arcem Alsatico quondam Comitatui addictam, hoc territorium Metensi Ecclesiæ beneficiario jure obstrictum. Regeremus: instrumenta, si quæ modò sint, aut testimonia, quibus adversùm nos satagant, fortè jam olim, cùm possessio recens esset, sublestæ fidei damnata, fortè suppo‌sititia, fortè domestica aut privata, aut instrumentis testibusve in contrarium deponentibus elisa fuisse; fortè rem ipsam venditione, permutatione, compensatione, pactis, cessione, aut qualicunque transactione, conditionem

nem interea mutâsse. Instabunt illi: fortè rem non ita se habuisse, isthæc à nobis probata reddi postulantes. Nos verò nostrum id esse pernegabimus; instrumenta, testimonia, quibus, cùm opus esset, majores nixi, tot seculorum vicissitudinibus, bellis, incendiis, ruinis, neglectu etiam possessorum, neminis calumniam adversùs rem sibi jure possessam prospicientium, situ, sordibus, ipsâ ætate intercidisse, replicabimus. Ista omnia possessio ipsa quieta, non unius seculi, ipsa, inquam, possessio, citra causam legitimam, quod jure humanitatis præsumendum est, nequaquam cœpta, pro nobis loquitur; illa eadem adversùs nunc demum nobis obtrectantes respondendi onere nos levat. Quidquid superaddiderint Galli, id omne hoc uno difflabimus: *Aut non fuisse rei, quam hodie demum litigiosam faciunt, conditionem, qualem nunc affingunt: aut, cùm mutaret, benè omnia majoribus, & ritè acta fuisse.* Quo id pacto actum sit, nobis curæ non esse. Proinde omnia majoribus

ribus perſpecta, atque parata fuiſſe, quibus jurium ſuorum obtrectatores, ſi qui contra ire auſi, retunderent. Aſt ut ea poſteris ad memoriam exactâ, undique ſollicitudine commendarent, id, longævâ poſſesſione nixos, in curatis non habuiſſe, quòd priſcâ & germanâ fide homines, qui modulo ſuo omnes æſtimabant, nequaquam proſpexiſſent, venturum aliquando ævum, quo calumniatores Galli jura gentium ac civitatum peſſundarent, & longisſimi temporis præſidia, oppidò maxima, atque ſanctisſima, & ad humani generis, civitatumque tranquillitatem inprimis facientia, ac perneceſſaria, novâ ſuâ jurisprudentiâ, criminarentur, ac tollerent.

Regerere pergebant Galli Imperatorum edicta, res Eccleſiaſticas alienari prohibentium, ac in id enervantium etiam præſcriptiones. Verùm, ſi Germanicos hîc volunt Imperatores, exhiberi poſtulamus edicta, quæ huc faciant. Sin priſcorum illorum conſtitutiones: nihil

illæ

illæ ad nos. Nec enim jus Romanum, quà consvetudinibus nostris adversatur, in legem nobis receptum est. Sed & ipsum, & Ecclesiæ canones bonorum Ecclesiasticorum alienationem non sustulerunt, sed conditionibus quibusdam in cautelam adjectis munierunt. Et inter cætera manifestum est, præscriptionem non exclusam, cùm & contra Ecclesiam Romanam præscribi possit. Denique nec locum esse dicam constitutionibus Principum, contra eam aliquot seculorum possessionem, quæ, quod dictum est, possidentis conditionem in dubio meliorem reddit, quamque, nihil contrà facientibus quibusvis prohibitionibus, legitimè cœptam esse, atque in id, si opus fuerat, prohibentis etiam dispensationem intervenisse, naturalis ipsa ratio, humanis fortior legibus, præsumere jubet.

Adhuc tamen cavillabatur regius advocatus, pace Westphalicâ disertis conventum esse pactorum verbis, ne qua Gallis præscriptio obesset, quò

quò in omnia ſibi ceſſa manum liberè immitterent. Agite verò, Galliarum cauſidici! vlovite, ſûltis, Pacis Weſtphalicæ tabulas, revolvite. A §. *quò magis autem &c. 69.* ad §. *quòd ſi talia &c. 91.* paragraphis duobus & viginti cesſiones, ab Imperio noſtro regibus veſtris factæ, abſolvuntur. Quòd ſi in univerſo iſto complexu præſcriptionis vel gry quidem oſtenderitis, manùs dabimus. Ajunt illæ quidem, præcludi quascunque exceptiones, quæ poſſesſionem rerum ceſſarum capere volentibus Gallis opponerentur. Aſt & litera ipſa & res loquitur, ad nudas exceptiones, executioni in rem ſine controverſia ceſſam impediendæ intentas, ea pertinere, non, ut jus facerent, etiam in illa, quæ cesſa an eſſent, diſceptaretur; nec, ut diſceptantibus hoc judicio reis defenſionem adimerent. At executioni in rem indubiè ceſſam mox à conventa pace à Gallis factæ, ne aſſequi quidem poſſumus, quî aut uſucapio, aut præſcriptio, quæ temporis

poris moram exigit, opponi potuisſet. Quòd ſi nunc tandem, poſt luſtra non pauca, prodiret res, quam ceſſam Gallis indubiè, nec tamen poſſeſſam, conſtaret: tum demum fortasſis eſſet ex pactis, quod contra poſſeſſores, per ſpeciem rei à pace inita quietè poſſeſſæ, Gallis posſesſionis capionem impedire volentes, legitimè opponeretur. Hic demum pactorum juſtus fortaſſe foret ſenſus; ac præterea, ne quid pacta regia Germanorum de bonis Imperii non alienandis, vel Archiducum Oenipontanorum, quorum fortunis Alſatica illa decerpebantur, minor ætas cesſioni robur præſtare necdum idonea, exceptionis ſuppeditarent.

Cæteræ judicii telæ in hac Reunionum cauſa reſpondebat & executionis modus. Ibi enim, mox à ſententia pronuntiata, aderat ſatelles Gallicus, qui damnatorum ſubditos homagii admoneret. Quorum conſcientiam ut perjurii curâ levaret Theologus miles, ſerviendum poten-

tentiori, quod jam diximus; velut pro ratione declamabat, unde scilicet subditis protectio, (quâ tamen, nisi adversùs Gallos, non egebant) quàm à pristinis dominis, efficacior exspectanda foret. DEUM ipsum successibus præsentem indicare, porrò ajebat, unde jus, unde injuria staret. Ut primùm Galliæ regi fidem juratò dedissent, à pristinis fidei datæ sacramentis absolutos fore, accinebat. Cunctantibus vis ostensa, cum belli malis, non aliàs, quàm per Gallos, mage metuendis. Si qui patriam post fidem habentes exilium meditarentur: strages domorum atque incendia intentabantur. Perjurio in pignus fidei atque obsequii jam obstrictis, atque ignaris, quid manticæ Gallico dominatui à tergo esset, esca & præmium accedebat, solutio servitutis, cujus inter Germaniæ plebem hinc inde quædam species superest. Id verò duplici consilio; tum, ut reunitis illâ, velut nepenthe, pristinæ felicitatis desiderium, præsentisque aut in-
stan-

ſtantis miſeriæ ſenſum tantisper levarent; tum ut plebi, etiam ad alteram Rheni ripam, Gallicæ, ſi Dîs placet, libertatis tentiginem conciliarent. Certè quâ benignitate, quo humanitatis ductu precariò, impenſis alienis, tam liberales fuerint, inde elucet, tum quòd mancipio Germanico præ agreſti Gallicano, quod omnibus res Galliæ juxtà & Germaniæ callentibus non conſtare non poteſt, nequaquam pœnitenda ſit conditio; tum, quòd qui vulgus noſtrum ruſticanum libertatis quodam ludibrio ſeducebant Galli, principes viros è Germanis, Gallicâ ſubjectione damnatos, liberumque Equeſtrem ordinem, & ingenuos urbicolas, ſervituti nequaquam fictæ mancipare, adeo nec verebantur, nec disſimulabant, ut etiam ſolenniter id profiteri atque edicere nimium non putaverint. Manifeſta ſunt Briſacenſis ſententiæ 22. Martii 1680. latæ verba, & rex ipſe, per os tribunalis ſui, ſiniſtrè detorto pacis Monaſterienſis ſenſu, loquitur, *in*

SERVITVTEM *sibi cessos esse ab Imperio, reunitos à se, Germaniæ quondam cives.* Et concinunt Galliæ satellites. Regius Weissenburgi Prætor Tabernis disertè prodidit, *Palatinos Principes non aliter posthac regi suo, ac Gallos in Galliis, habendos esse*; quod ad servitutem satis est. Et vidimus nuper, in specimen Gallicæ urbanitatis, Germanicum primariæ stirpis Principem, in Gallia hospitem, quòd è Gallia, circa ditiones suas procul Galliæ confinio, in Septentrionem ad extrema Germaniæ dissitas, in causa ad Gallos non pertinente, non ad eorum palatum, sed è re sua & Imperii, disposuisset, carceri publico mancipatum fuisse. Hæc, Germani Principes, vestra sub Gallis libertas est!

Porrò ubi castella Gallico dominio adjudicata erant: si quæ munitionibus freta, avertendæ executioni vim expectatura videbantur: nunc copias admovebant Galli, nunc mutato consilio militem in cœtera possessoris, etiam Reunioni

non

non devota, atque indubia Imperii territoria, pro discretione, ut vocabant, in miserrimam plebem debacchaturum immittebant, donec castelli deditio extorqueretur. Addebant interdum ludibrio: interdictum sibi loca munita machinis quatere, ne pacem violâsse viderentur. Digna profectò juris bellici prudentia, quæ ex Alcorano in mores Christianorum adversùs Christianos transeat. Supersedeo recensendis aliis innumeris, tum nostris in finibus acta, tum Belgio inflicta. Orbem isthæc atrocitate & insolentiâ suâ attonitum dedere, ac majora sunt, quàm ut stylo aut referri satis, aut vindicari possint. Perpetrata verò sunt illa potissimùm, cùm Cæsar & Imperium, miserrimaquePannonia, cum orbe Christiano, subsecutæ calamitatis ac vastationis suæ gratiam diris Gallicis debens, adversùs Ottomannicos insultùs, satellitesque Barbarorum, rebelles quosdam Ungaros, circa bellum ex eventu propè exitiosum,

 seu

ſeu avertendum, ſeu ſuſtinendum jam luctaretur. Et tum quidem leviora illa ad Occidentem, præ gravioribus iſtis ad Orientem, & propè condonanda Gallis videri poterant, ſenſu doloris noſtri à Rheno ad Viennæ mœnia averſo. Attamen ut & ibi Galliam experiremur, ſcire licet, illam à Turcis rebellibusque procellam auro, conſiliis, ſtimulationibus Gallicis in nos agitatam fuiſſe.

At nunc, poſt Reuniones, palmarium fidei Gallicæ ſpecimen aggredimur, ruptam induciarum ſanctitatem; in quo quid magis deteſtemur, propoſitum facinori finem, & tempus captatum, an cauſas belli, quas vocant juſtificas, an modum, quo geri cœptum eſt bellum, an cœtera, quæ circumſtant, meritò dubitemus. Pauci admodum anni abierant, ex quo tempeſtatem è Gallia pactis Ratisbonenſibus conjuratam credebamus. In breve quadriennium, quatuor luſtrorum induciæ contractæ ſunt. Turgebat ſcilicet

jam

jam Rhenus, destinatis, cùm pax iniretur, per Rauracos, & Triboccos, in Nemetes castellis. Inde quæ ad Treviros pertinent, Sarus amnis & Mosella totidem aliis claudebant. Quæ sequitur Arduenna, Luxemburgo perfidè expugnato, & cœteris per Nervios Morinosque munimentis, aut Imperio aut Belgio Hispanico priore bello, post initam etiam pacem, detractis, Galliæ fines usque ad oceanum impervios, vicinorum etiam viscera injuriæ indies obnoxia faciebat. Argentina stupendis operibus cuicunque invasioni par futura, in arcem belli armamentariumque, inaudito ad hunc diem apparatu, erecta erat. Quæ supererant Rheni ex Nemetibus in Ubios Germanici adhuc nominis, velut precariò haberi poterant, quòd fide regiâ freti accolæ detractum sibi militem Pannoniæ commodâssent. Cœterum Imperium aut & ipsum in Turcas avocatum, aut è Septentrione suscitato à Gallis suspecti moliminis, vicino suspensum. Batavo-

 rum

rum egregii terrâ marique exercitûs ad conflatas Gallis auctoribus Britanniæ turbas intenti. Hæc ipsa magnarum opum insula, & rebus inter Galliam, cæteramque Europam æquandis unicè nata, rege in nova consilia, Galliâ itidem sufflante, præcipitato, divisionibus intestinis à cura rerum communium in semet obversa erat. Hispania secretiore tabo macerata. Ad hunc modum, velut condixissent cum Galliæ fortuna homines, deducta jam omnia erant in punctum rerum, Gallis captiosâ Neomagensi pace fraudulentisque induciis ex ante præviso cupitum. Ager, quem altiore Rheno adverso littori vexando in stativa destinaverant, Galliæ quot castellis tot pessulis consolidatus; inferiora amnis & adversa omnis ripa præsidiis nudata, insultibus impunè ferendis præparata. Accesserat & Austriacorum res victricibus armis eò jam provecta, quò Gallia nollet, Turcis transitum in Asiam jam meditantibus. Tum enimverò nec socius pactis ex foe-

fœdere nefando ſubſidiis fraudandus ultrà, neque oblata Rheni, in ſpem cœteræ Germaniæ ſubigendi, ſors negligenda videbatur. Finem igitur cœpti habemus; fini etiam tenendo momenta temporum dolo verſutiâque ſolerter captata. Igitur juratus Chriſtiani nominis, & implacabilis hoſtis, confectis rebus ſuis, à Chriſtianiſſimo rege, adversùs Chriſtianorum victorias, ab interitu revocandus eſt, ſimul Europæ dominatûs Rheno capto initiandus; ut occurſantibus deinde confiniis, Gallus & Turca, ſimillimis utrinque artibus, pari furore, mutuâ perfidiâ, orbis Imperium in medio poſitum, aut hinc, aut illinc expugnent, nec Auſtriæ ſit, quod DEVS dedit, liberatæ Europæ decus, ſuperbiæ, invidiæque Gallicæ nimium difficilis digeſtu bolus.

Nunc belli cauſas, quas dicunt juſtificas, inveſtigemus. Tres omnino ſuppeditat vulgatus, bello jam cœpto, in præpoſteram clarigationem libellus. Primùm: *Bellum Cæ-*

sari, pace cum Turcis initâ, in Galliam meditatum; dein *causam Palatino-Aurelianensem*; denique *Wilhelmum Fürstenbergium cathedrâ Coloniensi prohibitum*. Jam prius illud quod attinet, quod tandem felix faustumque sit, universo orbi, hominumque generi, dehinc & cogitationes luemus; & nunc terrestris prodit è Gallia Deus, qui cordium & ipse scrutator, quæ interno hactenus fuere servata foro, frustra imposterum humani calculum judicii effugere jubet. Nec satis erat hactenus causarum, ex iis, quæ in actum transeunt externum, humano generi per cædes, incendia, vastitates perdendo, nisi nunc demum & animi conatûs in supplementum venirent. Prô pudor! hoc jus latore Christianissimo sanciri! Ergone inter velle & facere, inter os & offam nihil possit intercedere? Si nec ille infamis tyranni, ac latronis effugit perennem notam, qui causâ, tametsi justâ, levi tamen, aut etiam mediocri, in fera bella ruit: quid illum putemus, qui etiam cogitationibus tam crudele suppli-

plicium irrogat? Tum verò ſi Cæſar hoc nomine reus, quid innoxium cœterum Imperium? An & Suevis, & Franconibus, & Rheni accolis reliquis jam conſenſum? quibus id indiciis? Nam in tanto conſpirantium numero, quid occultum putemus? An neſcis, quid inter Auſtriam & Imperium interſit, quæ tu, ubi è re tua eſt, tam ſolerter diſtinguis, doctus etiam inter ſummum Eccleſiæ Pontificem, & Innocentium XI. Odeſchalcum diſcrimen facere? Si Auſtria peccavit, quid Imperium plectis? Quin ne ſollicitati quidem, quos perditum is, fuere. Age, calumniator, ſi quid habes, profer. Si ſollicitati in jugula Chriſtianorum Turcæ, ſi agitatæ in caput regis ſui pro parte rebellis Ungariæ crimen tibi offeram:: juſta fortaſſe chartophylacia impleverint, quæ te convictum dent. Tu vel literam exhibe, quò invitati adversùm te Imperii, nedum tracti, fides ſit. At *Auguſtanum fœdus eò tendebat?* Fœdera quidem Germanis inter ſe iniri,
 ab

ab antiquo receptisſimi moris eſt, nec quidquam naturæ convenientius, quàm unius corporis membra, in tuendam communem ſalutem, tum inter ſe, tum maximè cum capite ſuo, conſentire. At in Gallos continuò inteꝑtari, quoties conſilia conferimus, quid ſi negemus? Priſca Circulorum Ordinumque pacta Auguſtano illo integrata ſunt, in mutuam tutelam. An nulla niſi in Gallum ſocietas eſt? Urget te ſanè conſcius malæ rei animus, ut, qui omnes ſupplantas, omnes metuas, ut quodcunque levis auræ murmur pavido tibi fulmen videatur. At eſto! vel in te intentum fuerit. Diremptum eſt, propè antequam coalitum, eoque rex ſatis ſibi factum oſtendit, fidem colendæ pacis iteravit. Quid igitur tamdiu abolitum in belli nunc iterum cauſam prætexitur? Merus etiam conatus, vel tyrannis, rarus in horribilia bellorum mala obtentus fuit. Quorum qui mores imitatur, exitum metuat. Quid verò ſi in te

intentum quidem, at repellendi causâ belli, non inferendi? Tibi liceat sub clypeo pacem meditari, nobis scutum sumere non liceat? Tu Rhenum quinquaginta millibus satellitum sternas: nobis arma conferre, manum movere, os aperire, spiritum propè contrà trahere, sine crimine non liceat? & in novam belli causam, in agglomerationem culpæ hoc sit, si, notissimo naturæ privilegio, in casum quemcunque, nudâ nobis defensionis præparatione consulamus? si vicino infido, & si vel suspecto tantùm, nedum hostilia jam pridem non meditanti, sed ingerenti, aggerem potiùs, quàm arietem objiciamus, ne omnes, ne saltem inulti pereamus? Si fœdera inire, si exercitus conscribere, si confinia armatis tegere, bellum est, aut causam bello dare: quot non titulis Gallia, suo nunc etiam judicio, pacis nefariè ruptæ, belli sceleratè illati, rea est? Quid quòd etiam induciarum pacta jusserint militem in promptu esse? Garantiam sanè

 jusse-

juſſere mutuam. An hæc ſine milite? Centum & quinquaginta millia ſub ſignis, in præſidium malè partorum numeret Gallia; Germanis pacta conventa ſine tutore ſint, ſine præſidio? Quoties in Imperii Comitiis ratio iniri cæpta, quâ, ex lege induciarum, publico Imperii conſenſu in garantiam iretur: Galli minis, largitionibus, aliis artibus conſiliũm intervertère. Fœderibus ergò privatim quærenda fuit, quæ publicè non poterat. Dignum verò patellâ operculum, quòd & Palatino Electori crimini detur, *Cæſari pacis cum Turca redintegrandæ auctorem fuiſſe, quò in Galliam arma converterentur.* Quàm enim vereor inprimis, ne & hîc Gallia commenti noxam debeat! Quis credat, ætate, uſuque abſolutisſimo Principi volupe fuiſſe, ditiones ſuas in belli theatrum offerre? Sed eſto! Pacis autor fuerit, an continuò & belli in Galliam? Ergone è ſanctiori Imperii ordine Principi nefas ſit, quod è republ. credat, capiti ſuo ſuggerere? adeone, poſt cogi-

cogitationem, consilii etiam, si quod fuit, & successu destituti, pœna dehinc debebitur, citra dolum ex officio administrati, ut etiam in belli sævissimi titulum imputari queat? Ergone pacis cum Turca, cujus multimodæ rationes esse queunt, Cæsari suasor, continuò & belli in Galliam decreti reus est? Pacem cum Turca agitare, hoccine Galliæ bellum est inferre? Semper ergo Germaniæ vel cum Gallo, vel cum Turca luctandum erit. Sed demus hoc quoque, & pacem cum Turcis, & bellum cum Gallis, Palatinum suasisse. Si hic peccavit, quid cum Cæsare Austria, quid cœterum Imperium peccavit, quòd pœnas det? An verò etiam bellum suasisse idem fortasse, quod persuasisse est? Tum verò, si etiam persuasum, an id, ut inferatur mox bellum Galliæ, an verò, ut, si quod fortè ingruat, repellatur? Verùm enim verò, *Romanum etiam Pontificem, inducias pace mutari suadentem, Cæsar non tulit!* Et hoc esto. Usus est jure suo Cæsar. Induciæ annos

viginti totos pacem agitantibus indulgent. Quid attinet, diem præveniri, quando nec urget necesſitas, nec utilitas ſuadet, nec decor patitur? Quin ſi totum defluat ſine pace vicennium, pactisne injuria fiet? Nulla ſanè. Suadent illa pacem; necesſitatem ineundæ non imponunt, ſed tractandæ. Itaque ſi pace non conventâ abierit induciarum dies: nemini id in dolum erit. Res ex natura induciarum redibit eò, quò ante pactas inducias fuit. Hoc gentium juris eſt. Pacis verò tractatum, quem jubent induciæ, an abnuit Cæſar? Minimè id verò! Sed quas tractatum ex pacto induciarum præcedere neceſſe erat, garantiam & finium regundorum conventionem; ne fruſtra pacta eſſent, antè in effectum deductas cupiebat. Deinde verò tractatum volebat Cæſar, hoc eſt amicabilem compoſitionem, vocatis ſub examen partium juribus, cui maximè fini vicennium præfigi Gallia ipſa mordicus voluit; latum ſuperciliosè imperium in pacem, quæ

Gal-

Galliæ placuerit, amplectendam non volebat. Gallia enim hactenus, tantùm abest, ut quidquam tractari tulerit, ut, præcisâ omni juris inspectione, titulorum excussione, meritorum ventilatione, ad nutum suum inducias simpliciter in pacem conversas cupierit. Ecquid hoc sibi vult? Illud nempe, ut, quæ, per injuriam nobis erepta, sextantem ferè Imperii æquant, quorum possessio nuda apud Gallos induciis in vicennium manere jussa: hæc, inquam, ut jure perpetuo, irreparabili Germaniæ damno dedecoreque, apud Galliam sint, nunquam reversura. Hoccine verò tractare est? Et sic tamen, cùm hoc abnueret meritò Cæsar, ne quid Galliæ cavilli superesset, sanctè spopondit, juramento etiam in manus S. Pontificis dicendo robur additurus, & bello in Turcas vertente, & pace cum Babaris factâ, inviolatas à se fore vicennales inducias. Quid amplius poterat? Et acquievit tum Gallia. Quidni igitur & nunc? Nihil sanè novatum est, quod nunc

mage

mage quàm tunc diffidi jubeat. Pax porrò ipſa etiam vel jam nunc è veſtigio non displicet. Nihil rebus Auſtriacis ad Ortum ampliandis opportunius accidet. Modò tuta ſit, modò honeſta, modò in quam ſalvâ Imperii majeſtate ac dignitate conveniri, modò quæ poſteris probari queat, modò conſtans, ac duratura. Pacem igitur Cæſar ſi noluit, ideo noluit, quia turpis erat, quia periculoſa, quia fieri non poterat. Veriùs: pacem volebat; ſed pacis nomine bellum involutum repudiabat, ne ſpe præſentis pacis, perpetuam pacem amitteret. Deinde verò quid eſt, quod vel veriſimile faciat, non adductis in eandem ſententiam Polonis, Venetisque ſociis, pacem ultro cum Turcis Auſtriæ quæri, idque ad bellum Galliæ inferendum? hoc potisſimùm tempore, hoſte ſuperbisſimo ad incitas propè redacto, in medio fortunæ curſu, miraculosâ Omnipotentis manu ita evidenter cuncta ſecundante, ut necesſitatem propè injiciat proſequendæ

victo-

victoriæ, quæ unâ æstate, nunc maximè, multò plus ad Ortum Austriacis adjiciat, quàm ad Rhenum toto lustro sperari possit? quæ liberandæ Europæ, expellendæ in Asiam ferocis belluæ, evertendæ terribilis, si quæ unquam, tyranndis, æternum & vetustatis admiranda propè omnia superaturum decus, meritumque proponat? Sapientis sanè non est, projicere certa & opima, pro incertissimis exilibusque, nisi aut necessitas, aut decor, officiumve secus suaserint. Ecquid denique, si Cæsar & in Turcas vel nunc quoque vetus sponte prosequatur bellum, (cùm pax, modò annuamus, nostris in manibus sit) & novum â Gallis invito illatum, pari conatu simul propulset, an adhuc dicamus, decretam fuisse Cæsari pacem cum Turcis, ut bellum Gallis inferret, qui adscito in societatem armorum Imperio utrinque par sit? Inter hæc tamen omnia, si quid esset, quod rebus in hunc modum adversùm Turcas ridentibus pacem cum Barbaro sua-

ſuadere denique poſſet: hoc unum profectò eſſet, quòd compertum ſit, Galliam incrementi Auſtriaci nequaquam cupidam, belli tamen Auſtriacis tam proficui, tam glorioſi, non incentorem modò fuiſſe, rebus adhuc dubiis, ſed deinde quoque, inter medios Auſtriacorum triumphos, promisſis, conſiliis, ducibus ſubmisſis, quin ſtipendio quoque Ungaris, Turcarum ſatellitibus, numerato, ut duraret idem bellum, & annixam fuiſſe apud Barbaros his proximis annis, & adhuc anniti, idq; deperire. Tanti enim hoc eſt, ut confidentisſimo cuivis meritò ſuſpicionem faciat, latere anguem, & Galliam, conſiliorum ſuorum rarò incertam, inveniſſe clàm rationem, quâ hiipſi Auſtriacorum triumphi, ſi proſequendis inſtetur, Auſtriæ in exitium verſuri ſint.

Nunc ad alterum caput vergimus, cauſam Palatino-Aurelianenſem. Res ita ſe habet. Palatinatus Rheni ab his quingentis ſuccrevit annis, variis circa Rhenum ditionibus, antea in plures ſparſis,

tractu

tractu temporum, dote, empto, feudali beneficio, aliisque titulis in unam familiam illatis. Quorum quæ Palatinis circa medium seculum decimum quartum jam tenebantur, Aureæ Bullæ disertâ lege in corpus unum, velut in dotem Electoratus Palatini, ita compacta fuere, ut nullo nisi Cæsaris Imperiique consensu solubilia essent. Quæ deinde accesserunt, consensu itidem Cæsaris atque Imperii, juxtà & possidentium, aut & ipsa in conditionem Aureâ Bullâ præscriptam concesserunt, aut familiæ saltem ita coalita sunt, ut, donec mares superessent, quantumcunque gradu inter se remoti, fœminarum nulla sors in territoriis ferendis foret. Fieri hæc jure, pristinamque succedendi legem, exclusis vel in perpetuum, vel donec mares extarent, fœminis, tolli potuisse: receptus inprimis omnium gentium Christianarum mos arguit, potissimùm Germaniæ, in qua primores quæque Principum familiæ, præsentem splendorem, opumque ma-

magnitudinem his pactis & adeptæ & tutatæ ſunt. Tum verò & ratio ipſa convincit: quandoquidem in id omnes conſenſere, quorum intererat, jam nati, non gentiles modo Palatini, ſed & Cæſar, atque Imperium. Necdum natorum, quippe tum non exiſtentium, nullum jus erat; proinde nec juris interverſi injuria. Attamen & hi, ut nati, quique poſtea ad puberes annos venêre, tot jam per ſecula, juramentis in pacta familiæ dictis, rem ex ordine omnes ratam habuere. Acceſſere etiam, propè ex ſuperfluo, fœminarum juratæ renuntiationes, ut cæteris Chriſtianis gentibus, ita ipſis etiam Gallis, in vim pactorum jure optimo nixorum acceptæ. Denique, cùm Gallia ipſa agnoſcat, Aureâ Bullâ fieri potuiſſe, ut priſtina ſuccedendi ratio in territoriis ad Palatinos jam tum ſpectantibus mutationem ferret: quidni & in ſubſecutis, cùm Cæſar & Imperium, & poſſidentes, & quorum intererat, conſenſu atque autoritate ſuâ utrinquè

que rem gesserint? Stetit his legibus inconvulsa sua vis, donec nuperè Carolus Elector improlis decessisset, superstite sorore unicâ, quæ, Ducis Aurelianensis thoro conciliata, regiæ Capetinorum domui innupserat. Tum verò negare Gallia, in hanc, velut meliore tinctam sanguine, quicquam posse vel Cæsarum Imperiique constituta, vel perpetuam Germaniæ consuetudinem, vel pacta gentilitia moribus nostris recepta, vel juratam renuntiationem, quæ in priores ex majoribus agnatas, tanquam terræ propè filias, valuissent. Credo etiam, id mentis esse, ut, quemadmodum regnorum fundamentalibus, quod suprà examinatum est, legibus, ita & privatorum territoriorum successoriæ legi mutationem induci non posse, contendat. Condicit itaque Gallia, quæcunque Carolo defuncto possessa, ac post Auream Bullam promulgatam Palatinæ familiæ, vel in dotem, vel ex empto, vel similibus titulis, fœminas à successione

ex

ex sua natura non arcentibus, illata, & Carolo possessa. Jam verò nolim hîc mihi cum Gallia rem esse, in causæ meritis ex jure civili, quo censeri par est, disceptandis, ne campum argutiarum, causationumque cavillatoribus recludam: Non ferent hoc, nisi quòd hoc unum adjiciam: quòd si jure omnia, quod fieri nequit, pervincerent Galli: superesse fortassis in Germania Principes, majoribus Palatinis per fœminas ortos, quorum per avias, proaviasque pactis familiæ, juratisque renuntiationibus olim jure exclusas, enervato nunc harum per Gallos valore, jus tempore potius reviviscat, Galliæ prætensiones anteversurum. Cæterùm illa persequar, quæ jura Gentium præcipiunt, à Gallis in hac actione pro nihilo habita. Ibi verò primum est, decuisse litem ad forum competens trahi: Nec enim terræ Palatinæ eæ sunt, quæ nulli nisi Deo aut gladio subsint; sed subalternum agnoscunt in rebus humanis tribunal Cæsaris Imperii-

periique. Recuſando judici, quà ſuſpecto, nullus hîc locus, ut quod in ſupremam poteſtatem non cadat, & huic mori, ſi ſemel locus fiat, nulla unquam lis privata, quæ inter duarum gentium cives intercedat, ſuum tribunal ſortietur. Itaque ut res ad gentium jus deducta, Galliæque regi cauſa fratriæ gladii demum jure proſequenda vel in ſpeciem videretur: exſpectandum ſaltem erat, donec aut jus reddi negaretur, aut enormiter protraheretur, aut ſententia manifeſtè iniqua prodiret. Manifeſtè, inquam. In dubio enim præſumptio pro judice lataque ſententia facit. Gentium hoc jus eſt. Verùm ut ſemper aliàs, ita hîc quoque Gallia communi ſe hominum lege ſolutam credebat. Non jus negatum, non juſtitiam protractam, non ſententiam expectavit; ſed nec judicem Cæſarem agnovit. Intrârat in Electoratum, terrasque defuncto poſſeſſas, jure ſucceſſionis linealis agnaticæ, Philippus Guilielmus, è Palatinis Neoburgicis, non vi, nec clam,

ſed

ſed judicio præceſſoris, quà vivi, quà morientis, ſed pacificè, ſed inſpectante, ac, ut in re clara, approbante Germania, ſciente Europâ. Advolat deinde Gallus, inclamitat, injuriam fratriæ fieri, vulturiæ posſesſionis dicam Electori impingit, eam vi ex continenti, ut ajebat, interverſurus. Provocat Palatinus ad Germaniæ leges, mores patrios, pactaque familiæ; denique, ſiquid ea Gallis minùs probarentur, ad forum è legibus noſtris competens. Nihil illa morantur Gallum; vix ſummi precibus Pontificis adduci demum ſe patitur, ad anni unius morulam; cauto etiam publicâ Cæſaris Imperiique confesſione, ne quid ea fundandæ quietæ poſſesſioni in Palatinatum conferre poſſet, ſed anno vertente jus idem eſſet Gallo vi exturbandi Electorem, ac primo interpellationis momento fuiſſet. Denique ut forum eludat, ad arbitrum provacat S. Pontificem. Etſi hoc in injuriam vergeret fori Germanici; acceptatur tamen Electori, pacis amore,

amore causæque fiduciâ. Cavet rex fide regiâ, (quod & citra cautionem rei, quæ agebatur, natura exigebat) durante arbitrio à vi temperaturum. Mittitur Romam Minister, qui partes Palatinas agat. Is annum ferè expectat. E Gallis, ne monitore quidem arbitro, quisquam adest, qui vel causam dicat, vel laudum urgeat. Si arbiter displicere cœperat: ad alium eundem erat. At vel displicente jam in aliis arbitro, minister regius Viennæ nuper admodum regio verbo asseveraverat, vim arbitrio ejus hac tamen in causa constituturam. Quid multis? vix verbum hoc missum erat: ecce! eluso arbitro, illuso Cæsare, fractâ fide regiâ, bellum adest; lis in fucum belli servire jubetur.

Nunc ad Wilhelmum Fürstenbergium convertimur, causamque Coloniensem. Ille verò aut civis Germaniæ est, aut non est. Si civis est: jam nihil ad Galliam, quî Cæsari atque Imperio cum cive suo, in causa ad Remp. nostram perti-

 nen-

nente, conveniat. Quid enim intra parietes meos cum meis mihi rei sit, Ole, quid ad te? quid satagis in domo aliena? Si civis non est: jam nihil esse peregrino in Germania publicæ rei potest, nedum ut in sanctissimum Ordinem Octovirorum involare patiamur. At *Galliæ studiosum fuisse, hoc nimirum*, inquis, *invidiæ est.* Tune verò mihi succenseas, tu irarum bellive causam putes, si illum familiarem mihi nolim, esto, cœterà innoxium, quem tuis, vicini mei rebus, quàm meis, addictiorem sciam? Quâ hoc lege prohibear? quo humanitatis officio? Quod verò mihi privato liceat, hoc reip. non liceat? Et Imperii scilicet quàm cujusquam privati deterior conditio sit? Insistes: *Publicè & in crimen objectum esse, studium olim in Galliam, & operam rebus regiis navatam, quò ratio ejus in suffragiis nulla esset.* In crimen equidem objectum haud scio. Illud dederim; monitos fuisse suffragatores, ne quid nimis fiderent criminis in remp. admissi aliquando ma-

manifeſtè reo; memores, ſi naturam vel furcâ expellas, usque redituram. Prudentiæ hoc erat. Aſt verò *criminis ſi quid fuit, pace publicâ abolitum fuit!* Et crimen & pœnam, unius Cæſaris clementiâ, pacis amore remiſſam, probè novimus. At curam redituri ad genium exemptam niſi fungo, nemo quisquam velit. Nec vanum fuiſſe metum, eventus comprobavit. Quæ enim, ſi alia taceamus, modico ab electione peracta in hunc diem intervallo acta ſunt, inſanabile viri ingenium, nec à rebus turbandis arte ullâ abſtinendum prodidere. Adde implacabile in Auſtriacos odium, ne ſatis quidem unquam disſimulatum: cujus pro libidine porrò exercendi, ſi novum ac tam amplum pandi campum patienter Cæſar haud tulit, id ſcilicet invidiæ erit? Et adversus hunc, ſi Cæſar Principem antiquisſimâ domo, regibus Cæſaribusque majoribus ortum, ſanguini ſuo per paternos juxta maternosque avos proavosque tot vinculis innexum, ma-

ximæ ſpei juvenem, prudentiâ, pietate, moderatione, virtutumque omnium jam nunc ſpeciminibus, Germaniæ verè amorem, recentisſimis etiam ex fratre erga Auſtriam, erga Imperium, erga rem Chriſtianam omnem, & immortalibus meritis, hunc, inquam, ſi Cæſar ſanguine, ratione, gratitudine, pietate motus, & quid tandem non? jure, inquam, ſuo uſus, potiùs quàm Fürſtenbergium aliquem, in cathedra Colonienſi, in proximo à ſe procerum Imperii Collegio collocatum, ac velut corpori ſuo inſertum cupiat, hoc invidiæ, hoc crimini, hoc belli cauſæ erit? Et rite tamen omnia geſta ſunt, conſilio, commendatione, precibus; non ambitu, non ſceleratis promisſis, non conſpiratione nefariàm initâ, non ſyngraphis, non largitionibus, non minis, neque terroribus, non milite in vicinia, nedum in conſpectu propè eligentium collocato. Gallorum hæ artes ſunt; non Auſtriæ, non Bavariæ. Si rite electio peracta eſt, idque

que conſtat, quid frendetis Galli? quid turbatis? Sin ſecus pertenditis: cur in re dubia judicem aſpernamini, qui unus competens eſt, S. Pontificem? cur judicium eludere per inania ſubterfugia, calumniasque ſatagitis? cur latæ morem ſententiæ geri prohibetis? At etiam *ad Concilium Oecumenicum provocare audetis?* Omnium hoc ab Eccleſia ſeceſſionem meditantium (abſit omen!) ſolenne ſubterfugium fuit. Cui ſi nunc etiam in quavis lite privata locus eſt dandus: proximum erit, ut, inaudito in hoc tempus exemplo, Concilii Oecumenici perpetui ratio ineatur. Aut hoc amplectendum, aut Concilio non congregato per vos Eccleſia ſine judice, ſine legum interprete, ſine capite, aut, ad cujusvis refractarii lubidinem, Concilium Oecumenicum identidem ciendum erit. Adde, quòd non *Concilium* modò, ſed & *legitimè convocatum* appellari appareat. Quæ cautela quid ſpectet, probè, opinor, intelligimus. Sed pudeat Chriſtianiſ-

ſimum Catholici nominis confeſſorem, tam putidæ captionis, ubi recordetur, quibus ea fontibus hauſta ſit, quos præitores ipſe habuerit. Habemus itaque, & cauſas belli, ſi ſuperis placet, juſtificas. Hæc ô gens Chriſtianisſima Ludovici M. tui ſunt trophæa! ob bellum non illatum, nec præparatum, ſed, ut vos tenditis, cogitatum, reipsâ chimæricum; ob litem vobis autoribus ad arbitrum delatam, à vobis deſertam, nec laudo, nec judicis competentis ſententiâ expectatâ, ſed nec juſtitiâ vel denegatâ vel protelatâ, in bellum verſam; ob civem ſuſpectum, Galliæ quàm Patriæ ſuæ rebus addictiorem, in Imperii noſtri intima, ad clavum Reip. non admiſſum, pace induciisque contra jus gentium ruptis, fide fractâ orbem Chriſtianum ex tranquillo in turbas, bella, populationes, incendia, cædes, vaſtitatem dediſſe; hoc pretio ſanguinis Chriſtiani immanisſimo hoſti ſalutem redemiſſe.

A ju-

A justitia belli *ex genere causæ* ad alteram, quæ, ut cum scholis loquar, *ex genere modi* venit, devolvimur. Ibi verò illud ante omnia, & gentium jure, & naturâ clarissimum est, antequam ad jus meum vi, maximè armatâ, vindicandum descendere fas sit; *rerum repetitionem* (nos vulgò *satisfactionis petitionem* dicimus) esse præmittendam. Adeo id natura ipsa exigit, ut vel inter privatos debitor, nisi debiti reddendi privatim præmonitus, in jus vocandus non sit. Et ibi tamen togata, & placida, inter paucos, ex jure, sine sanguine, sine cæde contentio est; contra ea bellum, ultimum, odiosissimumque naturæ remedium, multorum exitium semper trahens, insontibus plerumque, quàm noxiis, funestius. Sanctissimi hujus juris adeo nulla cura fuit Gallis, ut ejus quidquam, quod vel in speciem eò faceret, interpositum, imò nec umbram reperire sit. Nam ut per eas, quas modò dimisimus, belli causas ordine eamus: quod meditatam, pace

Turcis datâ, Galliæ invasionem attinet, adeo ejus, nec opinantibus nobis, nedum præmonitis, illata est mentio, ut propè dubii fuerimus, flendane, an ridenda esset tam insignis impostura, dicam, an stultitia? Agè sanè, sunt in Aula Cæsaris, sunt in Imperii Comitiis Galliarum Ministri. An est, qui vel vocem à se publicè missam, venditare ausit, quæ cogitatam cum Turcis pacem, belli à Gallia expectandi causam fore, denuntiaverit? Cùm fœdus Augustanum agitaretur: professa saltem, etsi non jure, est Gallia, id sibi pro ruptis induciis fore. Acquievit deinde verbo Cæsaris, spondentis, sanctas fore inducias, & fœdus ipsum ultimam manum, quod Galliæ cordi erat, desideravit, nec proinde quidquam mansit, quod nunc inde in nos torqueri sustineat. Quæ tum providentia fuit, cur nunc insuper habita? Si Galliæ legitima suspicio, justus metus belli ab Austria impendentis erat, cur cautionem, (id enim juris gentium erat) seu fide simpli-

ci,

ci, à Cæſare, ut antè, Imperiove interpoſitâ, ſeu juratò, ſeu vadibus, ſeu aliter, præſtandam petere neglexit? Hâc demum negatâ, fas erat, jure gentium vi agere. Mirabili ſanè vertigine præceps hîc acta eſt Gallia, ut vel obtentum, vel ſimulachrum tantæ rei ſibi ſupereſſe nollet. Sed metuebat fortaſſe, ne cautione à Cæſare oblatâ fucus belli, ſcilicet tam ſpecioſus, tam, inquam inſolens intercideret. Par ratio & cauſæ Palatino-Aurelianenſis eſt. Quanquam enim initio contentionis ſubitò, pro genio Galliæ, auditæ ſint minæ: ni fratriæ ratio haberetur, vi rem repetitum ituram Galliam. Quicquid ejus fuit, per conceſſionem in arbitrium, eliſum eſt, evanuit. Arbitro deinde repudiato, (ſed ne repudiatum quidem fuiſſe, miniſter Gallicus ad aulam Cæſaris, ut jam dictum, teſtis eſt) iteranda erat rerum repetitio, antequam arma caperentur. Verùm id in minimis fuit. Sed & in Colonienſi cauſa tantùm abeſt, ut jus

reddi Fürstenbergio postulaverit Gallia: ut inter Romani Pontificis sententiam, (hac enim completa demum, si quæ fuisset, injuria censeri debebat) aulæ regiæ denuntiatam, & belli in nos initiandi decretum jussumque, vix diem totum numerâsses.

Nec sufficit, res repeti. Denuntiari etiam, necesse est, *ni jus reddatur, ultimo juris gentium remedio locum fore:* Sæpe enim, qui reus agitur, ubi extrema obversari videt, mutat sententiam, & flectitur. Hoc humanitatis ratio exigit, & usque in ultimum declinanda sanguinis humani prodigentia. Notum est illud Romani fecialis, rerum repetitioni, ex dierum trium & triginta intervallo, subjunctum: *Ego vos testor, populum illum injustum esse, neque jus persolvere. Sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur.* Tempus etiam rerum repetitioni subjungendum est, quò, qui injuriæ postulatur, res reddenda sit, nec ne, & ipse

ipſe ſecum rationem ineat. Et notum illud vulgi eſt: *Non teneri debitorem, ad quamvis creditoris interpellationem, illicò cum loculis præſtò eſſe.* Id quod, quanto gravior res eſt bellum, quàm privata litigia, potiorem in bello locum ſibi vendicat. Sed iſta à Gallo nunc contentioſè exigere, vanum eſt, cùm, quam præviam ſupponunt rerum repetitionem, cui ſubjungantur, ea nulla ſit.

Sed & *indictio belli*, eaque inprimis neceſſaria eſt aggreſſori, & nullo pacto, jure gentium incolumi, omitti poteſt. Ea vel ſimplex eſt, quæ per ſe ſola fit, rerum repetitione juſto intervallo præmiſsâ, & ſpeciali *indictionis* nomine venire ſolet; vel rerum repetitioni conjungitur, per modum conditionis, *niſi jus reddatur, bellum adeſſe.* Hæc *clarigatio* vocatur, &, ob adjunctam rerum repetitionem, temporis, quod diximus, interſtitium haud dubiè efflagitat. De altera illa nolo nunc cum Gallis contendere, an & ipſa tempus reſipiſcendi debitori indul-

gendum exposcat, nec ne. Sunt enim in utramque sententiam idonei autores. Illud tamen dandum est: vel momento anteriorem esse decere, si non alio fine, saltem quò constet, bellum autoritate publicâ inferri. At ne hîc quidem Gallia sapuit. Fragor machinarum, quibus Philippoburgum quatiebatur, Ratisbonæ, Viennæ, nuntium de vi regio jussu adhibita, & libellum in clarigationem submissum, aliquot dies antevertit. Tantus Galliæ ardor fuit, ex rabie ob Savum superatum, captumque Austriacis armis auspiciisque Taurunum, ob Fürstenbergium Romæ repulsum, (quæ duo nuntia Lutetiæ coinciderunt) ut nec tantillum temporis, nihil in causa mutaturi, ferret interstitium potiùs, quam tanto se dedecori infamiæque objiceret, cui vulgus etiam proditorii facinoris notam meritam impingit. Sanè vel justissimum causâ bellum, juris gentium tantis initiatum prævaricationibus in scelus abit.

Quid

Quid mirum igitur, ſcelere cœptum, ſcelere continuari?

Etenim Carolum Audacem Burgundiæ Ducem, (cujus memoriam noviſſimi Gallorum ſcriptores, pro ſua in maximorum Principum etiam manes reverentia, nunc demum poſt duo integra ſecula, cognomento *Terribilis* addito, fœdant) illum, inquam, Galli ipſi notant, quòd bellorum, ante ſuam ætatem civiliter remiſſum aliquandiu inter Chriſtianas gentes, rigorem primus intenderit. Eò etiam ſecutos eventûs quidam referunt. Fallor, aut ſui bidental fulminis erit Gallia. Quem enim in illo Galli culpant trucem bellandi morem, efferâ ſuâ rabie jam ſexcenties ſuperaverunt. Teſtis Belgium, tot Urbium buſtis fœdum; teſtis Ligurum Urbs; teſtis nunc Rhenus, inauditis ante hac ignibus vaſtatus. In Gallos auctores, quidquid tanto exemplo peccabitur, redundabit. Abſit omen! Nec enim noſtra clades, alienâ, eâque ferme inſontium calamitate; reficitur.

 Aſt

Aſt vereor, ſuâ pyrotechnicâ conflagrabit Gallia, & circum latos per tot populos ignes, novisſimè ſuis expiabit, ne gratis orbem erudiiſſe videatur. Quidquid de Carolo Burgundo ſit; ſi Gallis in eum fides: ſocium nunc habet Ludovicum *Terribilem* bellandi novâ ſævitiâ, habebit & exitu rerum. Cujus exemplum averſantur, cùm imitentur, imò immensè ſuperent, cur non & eventûs perhorreſcunt? Nec blandiantur ſuâ ſibi felicitate. Quid enim? tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant. Mars communis eſt. Necdum omnium dierum ſol occidit; & veniet fortaſſe dies, (quod ego quidem nolim, inſontis plebeculæ plerunque ſupplicium) quo ſentiat Gallia, quanto ſuo malo faces & flammas in bellum adhibere docuerit. Illud interea diſcimus: ſeu jure crudelitatis poſtulent Carolum Galli, ſeu injuriâ: furoribus bellorum ſemper à Gallis, iisque Capetinis, incrementum eſſe. Jam verò ab Urbium rogis in ruſticam etiam

gen-

gentem ferales transferunt ignes. Audita vox eſt diſerta, unius è regiis ducibus, cùm vix Rhenum trajeciſſet nuperè Gallicus exercitus, *regem legiones incendiarias pro milite Germanis immiſſurum.* Stetit verbo præclarè fides; Suevia & ad Tubarim Franconia comprobant. Dum in promptu non eſt, quem timeant armatum, inermem flammis vexant ruricolam. Et jam Attilana illa excidia, Hunnorumque tempora Vindeliciæ reditura videntur. Euge verò, quàm incendiarios iſtos carnifices, fugaciſſimos latrones, ſtatarius noſter & victor è Pannoniis miles, ferociam popello tantum, & mulieribus metuendam dedocebit! Auſint modò caſtra caſtris opponere, in acie ſtare. Ibi ſe viros præſtent. Sed, ut audio, ſpes iſta decollavit; quandoquidem idoneis autoribus docti ſumus, inter alia belli nobiscum gerendi jam pridem collecta capita, & illud invincibili illi Marti Gallico decretum ſtatumque eſſe, nunquam juſto cum Germanis

præ-

prælio decernere, flammis tantùm & latrociniis & populationibus grassari.

Multa sunt alia bello gerendo, his jam nunc initiis adhibita, quæ coronant Gallicum hunc Martem. Quod caput facit, illud est, sæpe jam nobis memoratum, at pro indignitate facinoris, dolorisque acerbitate nunquam satis memorandum; tempus, inquam, captatum, quo cum omni immanitate Barbariæ nobis luctandum erat; flagellum Christianorum, excidio divinitus devotum, & jam propinquum, quoad per Galliam stat, ruinæ exemptum, novis etiam stimulis in Christianos actum. Caveat Gallia versurum in se fulmen, invito cœlo à Barbarorum jugulo redemptum! At enim *in beneficio*, ajunt, *numerandum esse*, *quòd victorias nostras non antè interpellaverint*. Quod verò latronum aliud est beneficium, nisi ut commemorare possint, se nobis dedisse, quæ non ademerint? Quàm id verò festivum est, concitâsse in nos barbarum cum rebel-

rebellibus Ungaris hostem. Postquam concitârunt, armari in eum nos, defendique, aut prohibendi jus sibi esse, aut si non prohibuerint, beneficium putare? *Crescere Cæsarem negant, è Galliæ rationibus esse. His neglectis, crescere tamen Cæsarem sivisse, contra omnem sanæ politicæ rationem.* Audiat Christianus orbis! Christianissimi regis ratio Status, & sana politica, prohibet Turcam è visceribus Europæ propelli; & jubet tot Christianorum myriades sub barbaro jugo gementium, & venisse jam sibi salutem, tot nostris victoriis spondentium, atque anhelantium redemptionem, in ipso limine revertentis libertatis destitui! Horrendum nefariæ politicæ dictamen! Parum jam est, quod etiam Ethnicis damnatum, solas crescentis vicini opes, justam in bella causam esse.

Etiam verò illud regium scilicet est, promisisse in clarigatione, præterquam Coloniense territorium, Für-

Fürstenbergio vindicandum, & Philippoburgum turbandæ paci, ut ajebant, nimis opportunum, & partem Palatinatûs Rhenani, fratriæ Aurelianensi Ducissæ debitam, nihil ampliùs armis petitum iri, & tamen voci tam manifestæ, in ipsam etiam clarigationem illatæ, è diametro contraria omnia, orbe palàm illuso, egisse. Nam vel antequam Philippoburgum caperetur, & reliquus cis Rhenum Palatinatus, & ex altera ripa Heidelberga, & Heilbronna, & ex adversa iterum Spira, & Wormatia, & Moguntia obruuntur, & pars magna Sueviæ Franconiæque exactionibus, populationibus, flammis vastatur; & postquam expugnatum esset Philippoburgum, Confluentia in cineres deformatur, Manhemium, Franckendalia, Philippoburgi fato cedere coguntur. Huc accedunt pacta deditionum nusquam servata, perfidè semper violata, dedititen pessimè ubique, hinc inde execrandum etiam in modum habiti. Sed quid, obsecro, inter-

erat

erat Gallorum, juſtitiæ adminiſtrationem per cœteram Germaniam non ſuam, bello vertente, conſtare? An hoc Galliæ rationibus in quoquam detrahere, an armis noſtris quidquam addere poterat? Prohibuere tamen, obſeſſo tribunali ſummo, quod Spiræ clarebat, excluſis ſuâ functione judicibus, actis etiam judicialibus, irreparabili litigantium damno, aliò translatis. Liceant omnia in bello; non tamen omnia vel honeſta, vel gentibus moratioribus recepta, vel Chriſtiana ſunt. Hoc certè & inſolitum, & incivile, & nefas eſt, nec niſi inſignis malitiæ, diabolicæque rabiei documentum, quo ſe Galli natos divexandis hominibus tortores, ac merâ prurigine, tantùm ut aliis malè ſit, cacodæmonum ſimiles, atque æmulos probent. Adde jam, quod foris agitur, Jacobum magnæ Britanniæ regem, Gallicis conſiliis in turbas, queîs nunc agitatur, præcipitem datum, utinam bono rei Chriſtianæ eluctaturum! certè inter medios fluctûs, à Gal-

à Gallia, Germanicis armis in ſe petulanter concitatis ultro præpedita, deſtitutum; utinam non alterum his proximis luſtris documentum, utinam ſaltem ultimum regibus futurum, quo diſcant tandem, quanti ſtet, Gallicis fœderibus, conſiliisque innecti! Adde iterum, digna flammis maledicta, calumniasque libello infami, quem clarigationem interpretati ſunt, Cæſari ingeſta, ſtirpis Bavaricæ, neſcio quibus artibus, Galliæ fortasſis, quàm Germaniæ notioribus, in interitum agendæ. Pudendum dedecus! tam infamem calumniandi morem inter reges à Chriſtianisſimo induci! Commodùm verò, quod manifeſtum dedit calumniatorem ipſe DEVS, quando, ſub ipſum calumniæ in oculis univerſi orbis eructatæ tempus, plaudente cœlo terrâque, tót votis expetita ſeges in herbam ivit.

Quid illa nunc memorem, quæ in S. Pontificem admiſſa? Singularem tractatum poſtulant. Nos ſumma tantùm capita perſtringemus.

Ho-

Hostibus Galliæ addictiorem fuisse, quàm sibi, rex causatur. Quinam illi hostes? atqui à decem jam annis integris bellum in Europa nullum (nisi Reunionum, quod bellum non esse, rex ipse mordicus pertendebat) Galliæ fuit. Unde ergò S. Pontifex hostibus Galliæ addictus, qui nulli erant? Adrumetanis fortasse Afris pyratis? Hoc S. Pontifex? an Genuensibus? Latrocinium id fuit, atque incendiarium flagitium, non bellum; nec Pontifex causæ immixtus fuit. *At Austriacis?* Atqui his in Turcas bellum, non in Galliam erat, & hostes à Gallis renuntiati non sunt, nisi mense demum post signatam Lutetiæ adversus S. Pontificem clarigationem (literas volo ad Cardinalem Estreesium datas) exacto. An militem Cæsari Pontifex, an arma, an stipendia, an cœtera belli subsidia, in Galliam præbuit? an consilia, an oppugnandi rationem suppeditavit? Non poterat; quia hostes non erant. At enim *stipendia submisit pugnatori pro*

re

re Christiana in Pannoniis militi numeranda ; victori Cæsari collætatus applausit ! Amico hoc præstitit Pontifex, bella Christi bellanti, Galliæ necdum hosti. Quid hoc verò sibi vult, si stipendia in Turcas submittere perinde habetur, ac Galliæ hostibus addictum esse? Arctam profectò Galliæ cum Turcis necessitudinem quis hinc non inferat ? At hoc nimirum Ludovicum Magnum urebat, fore aliquem, auspice cœlo, Innocentio XI. juvante, qui, Barbariâ subactâ, Europâ liberatâ, Magni cognomentum potioribus titulis præriperet. *Affectu fertur in Austriacos magis, quàm Gallos.* Iterumne verò animi actus, & cogitationes in crimen, in belli causam erunt? Si bellum est, aut bellum in se lacessere, solo animo in hostem tuum Gallia (quem tamen hostem tutè tibi pro lubidine tua nunc demum sumis) ferri: tot jam habes hostes, quot orbis Christianos. Nemo est enim, qui Cæsarem victorem in Turcas, quàm te in Cæsarem, non malit.

Rum-

Rumpantur ut ilia invidæ tibi, & est Barbariæ victor Leopoldus, &, dante DEO, porrò erit, plausumque eo nomine favoremque bonorum omnium, & tulit, & feret. Sed vide, quàm tibi calamitosum sit, eos omnes, tuo judicio, tibi hostes esse, qui incremento rei Christianæ congratulantur. Viden', quâ te infamiâ induas? *Clementem Bauarum Coloniensi in sede collocandum Pontifex Fürstenbergio præhabuit.* Fecit, quod jure vel debuit, vel potuit. Si debuit, justitiâ Bavaricæ causæ adductus: quid succensetis jus reddenti? Si, causâ utrinque incertâ, in alterutram partem gratiam suam dispensare potuit: quid invidetis, Clementem magis, quàm Fürstenbergium adjutum volenti? Nullum jus erat Fürstenbergio; esto, nec Clementi fuisset. Inter causâ æquales, (modò æquales fuerint) alterutrum præferre, liberum erat. Prætulit, quem virtus, sanguis, indoles, bonorum omnium vota præferebant, Ludovico ipsi regi arctâ & consangui-

gui-

guinitate, & affinitate junctum. Et verò merita, credo, Bavarici sanguinis, in Ecclesiam, in patriam, in sedem ipsam Coloniensem, seculo amplius Bavaris insessam, cum meritis Fürstenbergicis in comparationem depromi sustinuissent? Ecquid verò tandem Galliæ rerum in Episcopatibus Germaniæ est? Gallus pro alieno, Cæsar pro suo stabat. Eccui Pontificem accedere æquiùs erat? *Ministris utitur Galliæ parum addictis.* Quod si verum hoc est, videte sùltis, an fortè pro merito. Sed hoc non urgeo. Non sumit sibi Pontifex, Galliarum Regi in deligendis rerum agendarum ministris modum facere; neque id æquum foret. Jus idem in se esse, postulat. Aut si mutuis officiis hîc pugnare lubet: agè sanè, regii ministri, quales quidem Gallia hodie numerat, aulâ omnes excedant, ne quis Pontifici non addictus superet. Sed Galliæ jam in morem vertit, nullam legem agnoscere, legem omnibus ferre; & quidquid Gallicis concinere

re modulis repugnat, hoc inimicum reputare; tanquam religioni esset, quidquid insolens (cujusmodi multa solet Gallia) non continuò probare. *Episcopis à rege nominatis confirmationem negat.* Triginta quinque eâ injuriâ premi, aliquando jactâstis. Nunc duos tresve omnino esse, certiùs ad nos perlatum est, faces nupero in conciliabulo dissolvendæ Pontificiæ autoritati, Ecclesiæque unitati, Galliæ in schisma & combustionem mittendæ aptissimas. An is vobis videtur Innocentius XI. qui ita sibi imponi patiatur? *Legatum regium non admisit.* Turbinem non admisit, & non admissum iri, nisi saperet, præmonitum; missum cum satellitum armatorum cohorte, S. Pontifici sua in urbe, sua in sede illudendo, proscindendo, divexando; specie etiam asyli tuendi sceleratorum omnium patronum futurum. *Jus asyli Legati hospitio negavit.* Illa verò ingens injuria est, quod rex per Galliam suam Pontifici Romano, ne in infimi quidem

pretii vico in jus proprium tribueret, hoc Pontifici sua in sede minis & armis extortum velle. Cupit ille, Romam suam, ut fidei cœtero orbi, sic disciplinæ morumque magistram exemplumque esse. In id receptacula inprimis facinorosorum hominum, decoctorum, latronumque eversa vult. Hospitia legatorum, scelerum omnium stabula esse non vult. In tanta urbis templorum multitudine, si & legatorum omnium hospitia asylo aperiantur, Roma denique omnis asylum fiet. Et tantò hoc intolerabilius est, quòd sacris ædibus haud parva criminosorum hominum turba, pro discrimine malefactorum, arceatur, legatorum domûs sine discrimine omnibus paterent. Hoc verò ereptum velle sceleribus patrocinium, quid magis ex officio animarum veri pastoris? Rex tamen, & Christianissimus, & Ecclesiæ, quod falsò jactant, primogenitus, Patri suo, Pastori suo manum hîc inhibere nititur. *Præscriptionem* opponunt *juris per longum tempus possessi.*

ſeſſi. Gratulemur vero Galliæ, frugi demum factæ, præſcriptionem juris gentium aliquam tandem aliquando probanti, ſaltem dum faventem ſibi ducit, eſto, cùm adverſatur repudiatam! Plaudite populi, & vos inprimis ad Rhenum iniquâ tyrannide ſubacti, Germani cives plaudite! Libertati veſtræ, quam, ſi cœtera omnia abfuiſſent, vel ſolâ longisſimi temporis quietâ poſſesſione tutam eſſe oportebat, in ſe redeunte jam Galliâ, & reſipiſcente, poſtliminium nunc imminet. Verecundabitur haud dubiè poſthac, confidite, quod jus adversùs Oecumenicum Eccleſiæ Pontificem ſibi figit, vobis dehinc negare. His ſe laqueis induant neceſſe eſt, qui pro lubidine in obvia quæque tanquam jure feruntur; imprudentisſimi, quòd, quæ in alios tela jactant, in ſe retorquenda non animadvertant. At fruſtra ſunt Galli, à longisſimi temporis præſidio ſpem hîc captantes. Nec enim quietè poſſederunt quidquam, tot Pontificum edictis identidem in-

terpellati, consensum ac præsumptam derelicti habitionem, quâ jus prætensum nititur, elidentibus; nec, si aliquamdiu precariò tolerati sunt, id in jus transire potuit. Tum verò suis iterum hîc arietibus sternitur Gallia. Quòd si enim jura summæ potestatis omni alienatione, illâque præcipuè, quæ jure præscriptionis intentatur, exempta sint, quod Galli maximè contendunt: cur hanc regulam S. Pontifici, sua in sede, æquè ac Gallis militare invideant? Cuperet orbis Catholicus, (cujus in capite suo spirituali causa hîc agitur) discrimen doceri. Res enim est, de potestate noxios plectendi, quæ summa semper in quacunque republ. habita est, legesque asylorum ferendi, & immunitates legatorum eas, quæ non gentium jure, sed ex cujusque Principis, domi suæ rerum potientis, arbitrio, & mera comitate veniunt definendi. De his, inquam, Pontifici, quà principi temporali, intervertendis, præterea de facultate mores disciplinamque refor-

formandi, quà ſpirituali Eccleſiæ capiti adimendâ agitur. Sed & aliunde jus aſyli, quale aliquamdiu Legati Romæ exercuerunt, præſcriptioni repugnat, quòd bonis moribus adverſetur, quòd turpe ſit. Nec enim ſcelerum toleranda impunitas ullo ævo præſcribi poteſt. Neque juvat, quòd rem ita geſturos ſe affirment Galli, quò his obvietur malis. Quidquid enim ſpei hìc faciant: S. Pontifex precariò tantùm domi ſuæ mero imperio pollebit, & quatenus Galliæ viſum fuerit, noxios dedere; quod indignum nec tolerandum eſt. *Legatum Chriſtianiſſimi, mandata regis ſui exequentem, communione piorum proſcripſit.* Si Rex ipſe huic cenſuræ obnoxius eſt, quidni & Miniſter? Obnoxium eſſe regem, (quidquid hìc Galli, hominum vaniſſimi, fabulentur) evidenti argumento eſt, quòd præceſſores Ludovici XIV. reges in gratiam à SS. Pontificibus impetraverint, ne à quoquam Epiſcoporum ſubalternorum fulmine Eccleſiaſtico, vim habituro, feriri poſſent.

Hoc enim ipſo jus Pontificum Romanorum firmatum fuit. Nihil iſti eâ concesſione, vel ſibi vel ſucceſſoribus derogaverunt; nec poterant. Contrà verò, & reges Epiſcoporum ac S. Pontificis jurisdictionem in ſe eo ipſo agnoverunt, & Pontifices, quod jus antea penès quemque Epiſcopum erat, in ſe ſolos revocârunt ac collegerunt. *Excommunicationem in cauſa merè profana tulit.* Nec cenſeri poteſt, rem merè profanam agi, ubi de diſciplina Eccleſiæ, & moribus reſtituendis, ſcandalisque tollendis ſatagitur; & in rebus ſine controverſia merè profanis, Eccleſiaſticæ proſcriptionis vim Galliæ tribunalia ipſa jam dudum agnoverunt, quando in cauſis, ubi juri reddendo humana omnis perſpicacia, ob malefactorum latebras, hebeſcebat, Epiſcoporum ſuorum ſacra fulmina adversùs autores, detentores, conſcios nec revelantes, perſæpe in ſubſidium implorârunt. *Exercitium Regaliarum, quas vocant, regi controverſum fecit.* Nolo recoquere, quæ aliis

in

in hanc rem integris voluminibus ad ſatietatem dicta. Illud modò addo: Richelium ipſum Cardinalem, gnavum, ſi quisquam, & gnarum utriusque regiminis, & primarium Galliæ miniſtrum. libello, quem *Teſtamentum* inſcripſit, ad regem Ludovicum XIII. abuſum iniquitatemque ejus juris jam pridem acriter & demonſtrâſſe, & impugnâſſe. Hunc ſeu judicem, ſeu teſtem malint Galli, causâ cadent. *Facem ſuppeditat conſiliorum ſuorum rationibus S. Pontifex Europæ omni in tumultum ac combuſtionem agendæ; animos addit Batavis Oraniæque Principi, orthodoxum magnæ Britanniæ regem, hoſtiliter obruendi, religionem per Angliam reviventem adhuc in herba peſſundandi, regii Principis natales probrosè inceſſendi.* O vos verò ſceleſtisſimos bipedum Gallos! Hanc vos invidiam, has calumnias, totidem propè verbis vobis juſtisſimè reddendas, in Principem, ſi alia abeſſent, coronatis ſaltem capitibus annumeratum! Has in Orthodoxorum patrem communem,

nem, ac paſtorem! Has in Pontificem à ſanctitate vitæ, innocentiâ, moderatione, juſtitiæ tenacitate, in recto conſtantiâ, vel illi, qui autoritatem ejus oderunt, qui nec Pontificem, nec Pontificatum eſſe mallent, commendatum, ac admirabilem! Hæccine ſunt vobis capita, diris armorum veſtrorum Innocentio XI. denuntiandis, ac in id, cùm tot aliæ ſuperent clarigationis viæ, feciali purpurato ſubornando? qui profectò, niſi ruborem omnem in purpuram ſuam effudiſſet, deprecaturus tam honeſtam provinciam erat, ſi non cum ſtomacho repulſurus. Manet vos, quantumcunque vilipendere videamini, flagitii & dedecus merito æternum, & ultor, utinam non æternus! Sed quem violata in Sacroſancto capite ſuo tam atrociter Eccleſia, quem læſus in chariſſimo Patre ſuo Catholicus populus, quem ii potiſſimùm dent, quorum maximè odio virum innocentem ac juſtum vos perſequimini. Maturam te in hoc & opportunam tuæ te furiæ

riæ agunt, odium orbis & gentium Gallia! Bellum scilicet religionis agitari jam persuasum nobis vafrè cupis. Nimirum postquam excuti Germanis pacem, qualem tibi spoponderas, terroribus injectis posse desperas, & plura, quàm velles, in te bella sentis concitata, & ab oceano etiam tempestatem metuis: trepida rerum tuarum, ut nos à sociis divellas, zizania hæc specie religionis serere conaris. Sed fabas in caput tuum metes. Quòd si tamen quod est religionis bellum: à te profectò est, qui & consiliis tuis, ut potentiam tibi semper, cùm velit, terribilem, à cura communis salutis avocares, turbas Britannicas miscuisti, & capiti religionis ejus, quam tumet profiteris, impium bellum, & communibus Catholicorum armis meritò vindicandum, tam nullis de causis infers. Restitue, quæ injustè rapuisti; tum verò credemus, post justitiam, etiam religionis tibi conscientiam curamque esse.

Ecquid igitur ſentitis, Germani, quo cum vobis hoſte res ſit? Poſtquam gentium, hominumque jura, inexpiabili facinore, multi fariàm polluit: nunc etiam divina convellere audet. Eccleſiam agitavit peſtilentibus nuper conciliabuli Gallicani decretis, deinde Barbarorum in nos immiſsâ immanitate. Parùm id erat, niſi nunc etiam caput Eccleſiæ nefariis armis obrueret. Nam quibus id cauſis? Nullis ſanè, quod præceſſorum nonnemini olim ingeſtum eſt, temporalium rerum litigiis, non partibus, immixtum, ſed in ſpiritualibus officio functum ſuo. Hinc eſt, quòd Galliæ noxam debet. Hoc verò quid aliud eſt, quàm cœlum terramque miſcere, ut divina humanaque omnia Galliæ ſub pedibus ſint? Cum hoc igitur hoſte bellum habemus, quod ſi non ultro nobis illatum eſſet, ultro ſuſcipiendum dicerem. Aſt quid ego bellum? Dubitare jubet Gallia, bellum, an pax nobis ſit. Nam Reunionum ſceleratâ falce cùm nobilior Alſatiæ pars,

Sa-

Sarus amnis, & hortus Germaniæ, inferior Palatinatus demeterentur, si Gallis credimus, bellum non erat: pacis nimirum executio erat. Cùm Philippoburgum obsideretur, machinis quateretur, ignibus expugnaretur, ne hoc quidem bellum erat, ne qua forte suspicio irruptionis in Galliam homines delicatos agitaret, induciarum fiduciam minuere idonea, arcem illam Gallorum quàm Germaniæ esse, consultius erat; pacis huc amor agebat. Itaque dum Spira, Wormatia, Moguntia, Heidelberga exercitibus ante mœnia, ignibus haud è longinquo ostentatis deduntur, Manhemium, Frankendalia capiuntur, quæ Rheno, & Nicro, & Tubari, ac Danubio adjacent, populationibus, exactionibus, flammis, incendiis vastantur. Vereor, ne vel sic quidem, si iisdem fides, bellum non habeamus; qui rerum ita ordinem turbant omnem, ut, quid bellum sit, quid pax, imposterum ignoremus, & novæ dehinc rerum definitiones quæ-

rendæ sint. His verò quid aliud, quàm admonemur, fungos nos esse Gallis, impunè quidlibet nobis imponi posse persuasis? Quod verò facinus? quod scelus? quam voraginem? quid Gallos non sorbere animo, quid non haurire cogitatione ista comprobant? Non conquiescet furor iste, donec Germaniæ liberæ quidquam supererit. Tum pax erit; victis sane, & confectis. Vicinis deinde, quod ipsi de se statuant, curæ sit. Hanc quidem tam detestabilem pacem avertat DEVS! Fatalium in Gallia mancipiorum est, servitutem pati; Germanorum sors libertas est. Agamus igitur, quod agitur. Agitur autem bello. Bello itaque decernamus, liberine vivamus, an servi. Servitus ultima calamitatum est. Apage ergò pacem, quæ servitute emitur. Verùm enim verò pacem vult Gallia; novis ecce caloribus pacem prosequitur, venditat, enixè deperit, offert ultro; proxenetæ spondent, rem seriò agi! Neu credite, Teutones! *Pax, pax,*

pax, inquiunt, & *non est pax*. Lusus est; deridiculum est; nomen est, aut si quid ultra nomen: timor est, non diuturni magister officii, qui pacis in præsens autor est. Advertit Gallia, coire nubes, colligi iras; metuit tempestatem; quoad metuet, omnia promissura; simulac timere desierit, similis sui futura. Falsâ spe pacis debilitare animos, concordiamque nostram cupit, hyemem sine apparatu exire, vero novo imparatos, improvidos iterum obruere. Absit illa pax, quæ pacem non præbet, sed bellum differt, damnosius rediturum. Quousque tandem pace semper decipiemur? Fuit aliquis fatalis, ut ita dicam, Monasterii, Neomagi, Ratisbonæ casus. Quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. Nos arma removimus; Galli non. Quia initio aliquid concessum fuit, iterum petitum est, atque iterum. Non mitior concessis Gallia, sed asperior semper, alia ex aliis iniquiora postulando, cùm prima impetrâsset, facta est.
 Ne-

Neque finis postulandi, donec ipsi Galli erunt, nos Germani esse non meminerimus. Ne igitur iterum ad eundem! Nunc enim si quis error erit, voluntarius erit. Tullium audiamus, cùm hæc diceret, Romani Senatûs Principem rerum propè arbitrum. *Quòd si est erratum spe falsâ atque fallaci: redeamus in viam. Optimus est portus pœnitenti, mutatiò consilii. Non est nobis cum eo hoste certamen, quocum aliqua spes pacis esse possit. Neque enim ille pacem, sed servitutem nostram concupiscit. Dulce pacis nomen est, & ipsa res salutaris. Sed inter pacem, & servitutem plurimùm interest. Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum, non modò bello, sed etiam morte repellendum.* Quàm enim nobis pacem (demus, aliquam fieri posse) venundat Gallia? Nempe, quam dedecore, flagitio, servitute emamus! Quæ rapuit, (hæ pàcis conditiones sunt) rata cupit, hoc est, prodita; Rhenum exarmatum, proditum; Sveviam, Franconiamque in-

incursionibus, incendiis, exitio, quoties hosti volupe sit, obnoxias, proditas; cœterum Imperium ex concordi divisum, proditum; libertatem precariam, proditam. Hæc sunt decora, quæ pax Gallica propinat, quæ scil. orbi è vultibus nostris suspenso, quæ posteris probemus? Pax ista non erit pax, sed desperatio libertatis, sed pactio servitutis, sed arrha exitii, sed summa malorum omnium, sed fraudis scelerumque larva. Cum magno Gregorio loquar, quem in hæc tempora, credo, & in Gallos fatidico spiritu inspexisse: *Eorum sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc eorum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris discitur. Hanc quia callent, nos decipiendo superbiunt, &, cùm vires suppetunt, truculenter insistunt; cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc* IN PACIFICA BONITATE SIMVLANT. Pax igitur esse

jam

jam non poteſt. Sed quod adversùs hanc peſtem remedium capeſſendum eſt, fruſtra ab uſitatis hactenus ac ſolitis expectabimus. Ludibrio fuere Gallis, quas adhuc à nobis, ſociiſque experti ſunt iræ. Si pari dehinc inſtituto res geretur: dum ſinguli pugnabimus, univerſi convellemur. Singuli, inquam; armis enim etiam ſociatis, animi ſuis quique rationibus diverſi erant. Itaque ubi omnium ſalus vertitur, omnes non arma modò, ſed, quod caput eſt, etiam animos jam conferamus. Vires adversùs Galliam antehac coalitæ, ſolito fœderum vitio, rationibus ſociorum, (quas utcunque fortasſis initio reſpondentes, ſinguli certè dein peculiares habuère) in diverſa euntibus, in exitum pacis omnium expectationi reluctantem reſolutæ ſunt. Ferocior Gallia bello abſoluta ſurrexit, quàm ad bellum acceſſerat. Una ergò nunc ſit omnium & conſtans ratio: cogere ſemel inquietam gentem, quò turbas dare vel invita dediſcat. Extorquenda con-

confessæ est pax, quam hactenus tanquam in stipem nobis donâsse, titulis, & porticibus, & in communem omnium contumeliam dicatis monimentis, palàm, vanissimè ac cum ludibrio gloriata est. Illud unicè spectandum, ut posthac precariò tuti, ac liberi ne simus. Germanorum ante omnes, nostra hæc Sparta est. Germaniam servire, fas non est, quam DEVS tot gentibus, Galliæque ipsi reges dare, & imperare voluit. Res in extremum adducta est discrimen. De libertate decernitur; aut vincere oportet, quod profectò & virtute nostrâ, & concordiâ consequemur, aut quidvis potiùs, quàm servire. Nos, prima in acie positi, ubi pedem referimus, orbem unà in ruinam trahimus. Proditæ communis causæ sempiternum improperium, si cedimus, statuminatæ omnium salutis æterna atque pulcherrima gloria, si viri, si Germani sumus, proposita est. Ne vero ab imbecillitatis obtentu vecordiæ præsidium emendicemus. Integræ nobis, nota loquor, & quæ vel

vel solæ in Galliam sufficiant, si probè agnoscimus, etiamnum post tot bella, sunt vires. Præstò sunt omnia, viri, arma, animi, corpora bello nata, duces, commeatûs, recens etiam ex fracto Oriente gloria, & vincendi assuetudo, & victoriis fama par. Sed nec stipendia fallent. Quin his, si supplemento opus, in hostico quæramus. Patet audentibus Gallia. Iidem & Germani & Galli sunt, qui per tot secula fuerunt, eosdem animos, easdem corporis vires gerunt. Galli majoribus nostris semper infesti, semper victi, Germani victores. Absit, hanc gloriam hoc seculo pessundari; hoc dedecus nepotibus transmitti! Non armis hactenus Gallia, sed astu & fraudibus suis, & dissidiis nostris, fortunam per hæc proxima bella redemit. In hanc quid porrò sibi sumant, penès nos est; si sapere tandem volumus. Unum modò curemus, ut concorditer, ut arte atque ordine rem geramus; ut ruptis, quà data primùm porta, (huc omni connixu tendendum; nec fallet

let enixus) confinium repagulis in hoſtici viſcera, vi collectâ, protinus nos inferamus. Proniora omnia, quàm vel ſpe nunc præcipere audeamus, ibi ſe offerent: atque illud inprimis conſequemur, quod Romanis bellum ad mœnia Carthaginis translatum dedit, ut patriam Hannibale exoneremus. Hoc verum denique, hoc Germanis dignum, ad ſalutem, ad gloriam, ad triumphos, ad pacem iter eſt. De ſucceſſu non eſt, quod laboremus; Superi providebunt. Eſt cum hoſtibus immane facinus, concitatæ, immiſſæ, retentæ in Chriſtianos Barbariæ; eſt, poſt jura gentium tot aliis infractionibus violata, ſcelus etiam induciarum ruptarum; eſt cauſa ipſa in nos per ſe iniquisſima, in S. Pontificem nefanda; ſunt arma tot piaculis inquinata. Nobiscum ſtat juſtitia, & juſtitiæ præſes DEVS, necesſitas, potentisſimum in bellis telum, aut vincendi, aut ſerviendi. Favor præterea ac vota bonorum omnium, ſpes laborantis Eccleſiæ, liberatæ Europæ, compreſſæ tyran-

tyrannidis, repressæ universalis Monarchiæ, pulcherrimum denique, ac perenne decus. Hæc arma nostra ad victorias, triumphosque acuent. Stabunt verò etiam nobiscum hinc vicinæ gentes, futuræ, dubium non est, armorum, ut nunc periculi, sociæ; inde Gallicâ vi nuper missi sub jugum populi, servitutis maligne patientes. Imò habet in visceribus ipsa suis Gallia, qui manûs, qui arma commodent, illic corporibus, mente nobiscum agentes, & velut è specula in occasionem intenti, quam oblatam gnaviter ipsi & opportunè juvabunt. Et quando, (quod belli adminicula probè administrata, & causa, & gemitus suspiriaque Christiano populo tot luctibus excussa, cœlumque pulsantia pollicentur) promotis trans Mosam copiis, Galliæ visceribus remensi fuerimus mala, queis latè viciniam sui exundatione furoris nimis jamdiu & truculenter afflixit: quando arma sociata momentum hosti superbo victoriæ confessionem exprimere idoneum evicerint:

leges

leges pacis, & à nobis tandem aliquando dictentur, nullâ licitatione minuendæ. Revomat ante omnia, quæcunque toto hoc ſeculo tuburcinando abſumpta, malè adhuc digesſit. Redintegrentur deinde (quid enim obſtet votis aliqua haurire?) Imperii noſtri priſtini ad Rhodanum, Ararimque, & Moſam, Scaldimque fines. Tum, quod Philippus Secundus Hiſpaniæ Rex, cùm poſſet, neglexit, Gallia ipſa in partes eat, & in regulos, cum jure in poſteros transmittendo, diſtributa, priſtinam regni Francorum faciem poſtliminio recuperet. Ita nobis gratulabitur liberatoribus ſuis, & pacatoribus Gallia ipſa. Ita tandem coërcebitur infeſtus paci genius, aut ſi quando in turbas & arma luxurians comprimi adhuc neſciat, vicinis luctam per ocium adſpectantibus, in ſemet ſuas furias effundet.

Optanda hæc magis, quàm ſperanda, ſi cui videantur: conſentientem fortasſis in aliquo habebit; memorem tamen, ubi nihil ſperandum, ibi

ibi nec deſperandum, & occaſionum momenta perſæpe, tum inprimis hoc ſeculo, ingentium converſionum tam ferace, inexpectata venire. Et ſanè, ut omnia denique fallant: hunc tamen voventis animi conceptum penès Henricianam rempublicam contumulabimus, nec erubeſcemus tanto præitore deceptos eventu eſſe. Sed eſt etiamnum tamen, eritque æternùm ſummus ille regnorum omnium, rerumque moderator, qui tot veteres fregit, recentesque vaſtisſimas tyrannides, cùm ſibi firmisſimæ viderentur; quas ne per gradus quidem dejicere ſæpe ſuſtinuit, ſed ictu uno proſtratis, imperiorum omnium majeſtatem, ſi vim ſuperiorem; unde orta ſunt, reſpicias, precariam eſſe, nimis manifeſtè comprobavit. Hujus ut ne hodie abbreviatam eſſe manum putemus, Scythicus ille ad Orientem Coloſſus, faſtu nequaquam mitiore, quàm Gallico, paulò ante tumidus, ac probè jam in caſum datus, documento eſt. Et conſimilem in Occiden-